





22

Præf. 3. num. 7.

17

1661, 2

9/

DISSERTATIO POLITICA
DE
NEUTRALITATE

QVAM
DUCE ET AUSPICE DEO

PRÆSIDE
VIRO


*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo
atq; Excellentissimo,*

DN. JACOBO LE-BLEU,
J. U. D. GRAVISSIMO, PANDECTARUM
ET POLITICES IN ILLUSTRIS ACADEMIA LU-
DOVICIANA Profess. publ. longè celeberrimo, ejus-
demq; Syndico fidelissimo, Præceptore ac Patro-
no omnium honoris tum observantia
cultu prosequendo

Publico examini offert

HENRICUS SCHEMEL
HAMBURGENSIS.

Ad diem 31 Augusti horis locoque consuetis.



GIESSE HASSORVM,
Typis CASPARIS VULPII, Anno M. DC. LXI.



P 459

8

7



DISSERTATIO POLITICA

DE

NEVTRALITATE

DE

DUCE BELLA SPICIS DEO

PARS I

VIRI

Nobilissimo, Augustissimo, Cosmopolitimo
ac Excellentissimo

DN. JACOBO LE-BLIEU

UD. A. YSSING, PANDICTARIUM

ET POLITICIS IN UNIVERSITATE ACADEMIAE

BEVICAENAE Profess. publ. long. celeberrimo cult.

laudatissimo, Praeceptoris ac Patro-

no ornatissimo tam oblativis
cultu prosequendo

Publico examini offerit

HENRICUS GEORGE

HAMBURGENSES

Alumnus in Augustissimo Cosmopolitimo

1750

GISSA HANNOVERIA
THOMAS VERNI, ANNO MDCLXXI





Ingenium felix, solertia, cura parentum
 Quæ tria si juveni præstò, quòd natus ad alta
 Is fit, non fallax spes est. Tibi, Schemel, abundè
 Hæc adfunt: Patet id, dum scandis ritè cathedram.
 Ominor inde Pater quos optat, habebit honores.

*In honorem Pereximii Domini Respondentis
 apponere voluis*

PRÆSES.

Publica, si novisse rei, quæ commoda, debet,
 Quis genius? leges arte forensque docens.
 Legum, non civilis erit doctrina minoris
 Usus, cultori, quam sua norma fabro.
 Quæ perhibent ergò? quòd tantum, desinit in quo
 Ethicus, incipiat Mysta probus Themidos?
 Forsan, quòd Jurisconsultus cœperit ex quo,
 Inde Politicus haud desinat ipse tamen.

*Nobil. ac florentiss. ingenii juveni,
 D. Henr. Schemelio &c.
 paucis hisce gratulatur animitus*

H. Eyben D.

Univel Neutri nostras num jungere vires
 In bello melius? Themata docta docent,
 Themata quæ egregiam mentis & acumine dignam
 Rem nobis referunt, ast dubiam dirimunt.
 Perge ut cœpisti Schemel scrutarier artes,
 Et fuge ceu pestem quo mala fama venit,
 Ex studiis fructus venient & commoda multa
 Laus immortalis & bona fama Tibi.

P. MASCOU. Pom.

Magnus Alexander, divini pectoris Heros,
 Ense suo quondam cum Gordia lora secaret,
 Astantes clamant: Asia Rex iste futurus.
 De Te quid dicam, Schemel, qui mente sagaci
 Implicitos adeò scindis nodosq; resolvis,
 Perge ita! felici successu scande cathedram,
 Ut sic in patriis splendor tuus emicet oris.

*Hisce Nobiliss. & Præstantissimo D. RESPON-
 DENTI Amico & Commensali suo sua-
 vissimo gratulari vo lui*

HARTMAN NUS GLOXIN.



PRO merito hinc tuis, Schemel, tibi gratulor ausis,
Has dum defendis, non sine laude, theses.
Scire etenim nihil est, nisi te scire hoc sciat alter,
Quæ, ceu trita fatis, sic quoque vera manent.
Hæc nunc perge viâ: sic non tibi laurea famæ
In patriis tandem digna negatur agris.

l. m. q. addebat

NICOLAUS DASSOVIUS Hamb.

Ismagnò merito mactandus laudis honore,
Quem virtutis onus ducit ad astra poli.
De Te quid dicam, SCHEMEL, cum pulpita Doctum
Scandas, ut sermo profluat ore frequens.
Gratulor his cœptis, sed non nisi carmine vili;
Ut crescat studium, Virtus, amorq; mei.

*Paucula hæc in gratiam Pereximii & literatissimi
Dni. Respondentis, Fautoris & Sympatriotæ
sui dilectissimi, festinante adiciebat calamo*

JOHANNES DASSOVIUS Hamb.

IN terra, Schemel, si nomen spectro, manendum
Sed labor insignis nominis ultor adest.
Quapropter lætus Doctum conscende Cathedram
Qui Tibi consurget, credito, neuter erit.

*Hæc Pereximio ac Literatissimo Dno. Henrico
Schemelio Conterraneo suo dilectissimo
apponere voluit*

THEODORUS Osterdorff.

Quid juvet assiduos in chartam mittere vultus,
Si queras, huc te siste, rogata scias:
Scilicet, ut possit perplexa sophismata dextrè
Solvere Schemelinus, lectio læta dedit.

HIERONYMUS PASMAN.

Quid valeat duros animo perferre labores
In Te, SCHEMELI, cernimus hocce die;
Perge tuis libros manibus versare Sophorum,
Sic Patriæ tandem commodus esse potes.

*Hæc paucula Sympatriotæ honoratissimo
apponere libens voluit, debuit*

JOHANNES CHRISTOPHORUS DASSOVIUS
Hamburg.



DISSERTATIO POLITICA

De

NEUTRALITATE.

I.



LUDORUM theatralium hic mos est, ut sua cuique ex antiquis virtus rependatur, sua item labe. Ita ut nec ratio spectatorum habeatur, prout genius fert in scenam prodeuntium; quibus prompta indicacitatem facundia, fertile maledictis in probos ingenium, excedens normam subinde laudibus evehendi immeritos consuetudo. In pyrobolicis ad publicam populi lætitiæ constructis hoc non rarò evenit, ut spectantibus à pilâ in transversum raptâ præter spem inferatur incommodum. Aliis ludentibus spectatorem agere haud jacturam patiendi remedium esse, nonnulli autumant. Verùm & hoc paradoxon esse, experientia evincit. Mutuò victus à spectante nummos petit; si recusat, ei succenset; ob fortunæ jam insidias rabidus: si largitur, mutuanti victor irascitur, ne vires resectæ victoriæ nocent veritus: nec minus est, quod ex dubiâ mutui restitutione oritur, periculum.

2. Bellum inter vicinos exardens ludo theatrali haud

A

abîmîle

ab simle iudicatur, ubi cruenta Martis furibundi agitatur tra-
gœdia, agentibus & spectantibus funesta. Nec alienum à py-
robolicâ ob sævam tormentorum rabiem, serpentiâq; per-
varias provincias incendia. Nec procul à lusu distans, in quo
hostes sibi invicem facti lutores sunt; qui neutris præstantium
addicti sunt partibus, existunt Spectatores, qui nihil periculo
committunt, aut quia parvi lucrum faciunt, aut quia perdere
metuunt.

3. Si nunc utile fuerit à lusu abstinere, in controversiâ
est, & quidem tali, quæ excruciare ingenium politicum pos-
sit. Cùm itaque oculo dimetiri altitudinem queamus, quò
pede contingere non licet, per exempla tentanda erit tam in-
signis controversiæ enodatio, quæ præsertim ratione si ni-
tantur, negotiorum ad Magnates spectantium circini sunt.

4. Sobriæ rei veritatem clarior ostendet disputatio.
Opposita enim juxta se posita magis elucescunt, *Ari-
stot. in 2. de celo* Et sicuti aromata magis redolent, quò
magis conteruntur; ita veritas cujusque negotii, quantò ma-
gis conteritur oppugnaturq; , tantò clarior, expulsis vanita-
tum nebulis, in lucem progreditur.

5. Laudatur ab his Neutralitas, culpatur ab illis, ne-
moque suâ destitui ratione videtur. Proficuam esse tradunt
nonnulli, quòd utriusque bellantis hoc modo conservari a-
micitia possit; aliter si agatur, nullum esset, ut inquit, inter
præstantes pacis arbitriû. Fr. Guicciard. lib. hist. 1. Ad stipula-
tur M. F. Juan Marquez, ordinis S. Augustini In tract. de Gu-
bernatore Christiano, lib. 2. cap. 25. §. 2. pag. 306. ubi dicit:
*Porque siendo neutral el Principe seraves petado de entrambas
partes por el medio que cada una tendra de que la de consu po-
der azia la otra, y muchas vezes hallaran medio para apaciguar
las.*

3
has diffensiones y concordar los de sa venidos, y conservandose en la amistad de todos ganaron gracias, y honra de cada uno: que si todos fuessen confederados, no auria quien fuesse medianero de paz entre los que rivassen. Præterea firmitus nullum esse arbitrantur Politici Status corroborandi remedium, quàm si gentes vicinæ ipsis sibi creant interitum, fulcitur quippe Principis autoritas, vigorq; Statûs augetur oppressâ vicinorum potentiâ.

6. Attilio Consulto urbes Ætolorum vastaturo obsti-
dit Q. Flaminius, cautus esse docens, progressus Philippi Ma-
cedonis impedire, quàm Ætolorum vires imminuere. To-
nantibus inter vicinos armis, civium divisio, ruina provincia-
rum, prædæ militum, incrementa suppeditant Principis neu-
trius partibus addicti subditis. Cives naturali motu compulsi,
eò se recipiunt cum suis, si possunt, omnibus, ut à calamitati-
bus tuti securitate fruantur. Milites utrarumque partium
eò confugiunt, ut sarcinas rapinâ onustas allevent, mercesq;
in pecuniam convertant. Hinc absque bello lucratur Prin-
ceps neutralis, absque sanguinis fusione ditescit, ac sine obsta-
culo tranquillitatem possidet.

7. Nocivam alii Neutralitatem Statibus esse contem-
dunt, nec suis orbatu fundamentis. Constat ex proverbis
Reglis cap. 26. vers. 17.prehendere auribus prætereuntem
canem, qui se in certamen interponit alienum. Ex aliorum
inter se rixantium cæde expectarunt prædam Moabita, 4.
Reg. cap. 3. vers. 23. sanguis gladii est: pugnaverunt Reges inter
se, & cæsi sunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab. Pro regu-
lâ venditant Status periti, In hoc casu aut fortiolem esse o-
portere, aut à fortioribus dependere; quam paucis subjectam
esse ajunt exceptionibus, sive in eâdem Republ. sive Inter

A 2

plures

plures Principes agitur negotium. Patet hoc ex Aristheni Prætoris ad Achæos Principes habitâ oratione, in quâ ad finem hæc verba eloquitur: *Nam quod Cleomedon modò tanquam mediam & tutissimam vobis viam consilii, ut quiesceretis, abstineretisq; armis, ostendebat, eâ non media, sed nulla via est. Etenim præterquam quòd aut accipienda, aut aspernanda vobis Romanorum societas est: quid aliud quàm nusquam gratiâ stabili, velut qui e vêtum expectaverimus, ut fortuna explicaremus nostra consilia, præda victoris erimus. Nolite si quod omnibus votis petendum erat, ulro offertur, fastidire. Non quemadmodum hodie utrumque vobis licet, sic semper liciturum est, nec saepe, nec diu eadem occasio erit. Romanos si socios aspernamini, vix sara mentis estis, sed aut socios, aut hostes habeatis oportet,* Liv. decad. 4. lib. 2.

8. Hujus rei veritatem expertum esse Ludovicum XI. Galliæ Regem asseverat Cominæus, certum esse tradens, neque amicos parere, neque inimicos tollere Neutralitatem. Ingruerant olim capitalia inter Austriacos Duces & Suiceros odia, adeò ut in universâ Suicerorum terrâ non tolerati fuerint Pavones, quòd Austriacorum arma caudis Pavonum fuissent ornata, Hinc & arma eorum in templis hospitibusq; depicta non absque contumeliis abrasa fuerunt. Et quia civitas Thuricensis quasi in medio utriusque partis sita erat, angustiabatur ab utraque, nec poterat esse Neutralis, ut ergo salutis suæ videret consultum, interposito juramento Suicere sociatam se profiteri coacta fuit, *Felix Faber, Monachus Ulm. Histor. Suevia lib. 1. pag. 190.*

9. Hinc prudens existimatur Princeps, si quantum fieri potest, fugiat Neutralitatem; & errare illi creduntur, qui finitimis duobus pluribusve bello involutis, medios gerere se, & ab

3
& ab utrorumque avelli societate conantur. Cùm ea belli natura sit, ut hostis communis censeatur, qui non fert suppetias, necesseq; prorsus esse arbitrantur, ut aut diuturnitate belli, velut granum inter duos molares & ipse atteratur, aut ab alterutro victore tandem opprimatur, *Bodin. de Republ. lib. 5. cap. 6. Besold. in. dissert. de fœderib. cap. 8.*

10. Idem Hermocratis fuit iudicium, qui his verbis Camarineos allocutus fuit: *Esse utriusque socium, & neutrum velle juvare, non re ipsâ æquale est, sicut prætèxtu juris videtur. Si enim propterea quòd non juvatis, inferior evertitur, & victor fit superior, quare aliâ nisi vestrà absentia, sociorum salutis defuistis!* Girol. Frachetta, in Seminar. Status & belli, disc. 92. c. 9. ex Thucydide, lib. 6.

11. Hisce ex rationibus mediam tenere viam minus tutum esse pronunciant; eaque incedentes illis similes esse dicunt: qui in mediâ ædium contignatione habitant, quos ex superiori parti lotium, ex imâ fumus infestat, *Boter. in dict. Ubi ursus alveare apum semel nactus fuerit, nihil tunc consultius, quàm totum illud a quis immergere: quòd cunque enim aliud medium officeret potius, quò minus suo fine, hoc est, favo mellis potiretur, & apicularum aculeos effugeret. Hoc ipso exemplo damna consiliorum mediocum exhibet Didac. Saverda in Ideâ Principis Christi. symbol. 85. usu comperta in eo, quòd Herennius Pongius Samnitibus dedit, quando conclusis in angusto loco Romanis, auctor fuit, ut liberè inde exeundi omnibus potestatem facerent; quò consilio deinde rejecto suavit, ut omnes obtruncarent, rogatusque causam, cur extrema ille sequeretur, cùm media inter utrūq; via posset eligi, liberos nimirum eos dimittendo, postquam victis prius leges imposuissent? Respondit, ita expedire po-*

6
eius, ut aut liberales sese erga Romanos exhiberent, adeoq; insi-
gni hoc beneficio pacem iis cum stabitem firmarent; aut ita vires
illorum opprimerent, ne contra eos instaurari unquam possent.
Ejusdem rei vestigium indicat Fr. Guicciardinus lib. 16. hist.

12. Cùm verò omnis iudicii fundamentum in rei
judicandæ consistat ratione, juxta Platonem, de Leg. dial. 12.
ubi dicit, Turpe esse rerum tractandarum nomina & rationes
ignorare, præstandum illius monitis obsequium. Dicuntur
Neutralis quis: itaque Neutrales, qui in dissidio inter plures moti, neutri se
parti adjungunt, Quæ vox non est probæ latinitatis, neq;
enim Classici autores ea utuntur, unde Rudolfus Goelenius
in *Appendice Lexici Philosophici Græci* pag 321. inter obsoleta
& semibarbara retulit. Sequioris autem seculi scriptores u-
si fuere, ut indicarent eum, qui *neutri* est addictus parti, qui
neutram in partem movetur, qui *neutrò* movetur, qui *neutrò*
omnium inclinatur, quo sensu sumpta reperitur apud Mona-
chum Ulmensem Fratrem Felicem Fabrum supra citatum.
Sic ex Grammaticis quidam verba *neutralia* appellant, quæ
neque agunt quidquam, neque patiuntur, sed indifferenter
se ad utrumlibet habent. Quod & indigitare videtur Græ-
cum vocabulum οὐδένη & ἰδένη, qui nulli (nam ἰδέης
nullus) se addicit parti. Sic petenti auxilia Nigro, neutras se
partes suscepturum respondit Rex Armeniorum, *Herodian.*
lib. 3. hist. cap. 1.

Neutralitas. 13. Exinde Neutralitas is dici Reipubl. vel Imperan-
tium status potest, in quo dissidentibus vicinis, tranquillitatis
potior quàm motus ratio est, ac neutri præliantium auxilia
præstantur. In quo plurimum juvabit accurato mentis scru-
tinio, tum proprias, tum disceptantium vires, mores, ingen-
ium rerumque, antequam ingruerit, eventum penitus explo-
rare.

14. No.

14. Notanter hanc rem expressit Autor Bellatoris Prudentis & Politici, *cap. 44*. Ubi inter duos æqualis potentia Principes bellamoventur, semper ubi ratio valuerit, vicin o Principi, cui æqualis est autoritas, proficua illa esse ostendit. Ne hoc veritati adversans est; Illorum quippe ruinæ certa erunt ipsius elevationis fundamenta, semperque ipsi Neutralitas proderit, quando alterius partibus se adungere periculosum videtur. Illos si bella infirmant, tertio exinde augmentum adjicitur, ipsiq; aut arbitrium in reliquos tribuitur, aut, dum vires ex illorum succrescunt interitu, absolutius in omnes imperium.

15. Quemadmodum Principes bellantium partium Spectatores eò allaborare debent, ut procul à terris propriis arma amoveantur, ita semper Neutralitati manebunt addicti, quia facta pro alterius partibus sustinendis declaratio plerunque periculis gravida est, quando auctores amici vires creare ipsi æmulationem possunt. Dum Suecorum adversus Imperium arma converterentur, contra illud apertè se declarare noluit Rex Gallia, ne nimium eveheretur Suecorum fortuna, utq; in Statu Neutralitatis illis potiri posset, quæ vix polliceri facta declaratio videretur. Nihil magis Imperantibus aridet, quam alterius minui potentiam, modò non penitus destruat; gaudentque, si inferiores consolandi detur occasio, quos interim plus justo erigere detrectant, animadvertentes unius interitu, & alterius incremento securè uti se non posse.

16. Pro statuum securitate nihil utilius ducunt Politici, quàm si in æquilibrio conservetur potentiorum autoritas, nec hoc antiquitati incognitum. Nam frementibus inter Romanos & Perseum armis, vicini non adversabantur Perseo,

seo, nec Romanis infestierant. Hinc Livius, tertia pars, inquit, optima eadem & prudentissima, si utique optio Domini potioris daretur, sub Romanis, quàm sub Rege esse malebat: Si liberum inde arbitrium esset, neutram partem volebant alterâ oppressâ potentiorē: Ita inter utrosque conditionem civitatum optimam fore, protegente semper altero inopem ab alterius injuriâ, & illibatis utriusque partis vitibus parem esse.

17. Faventem se alterius partibus declarare, ut tertii invadatur Status, vana esse putatur resolutio; non enim libenter Socio assignamus, quod hosti extorsimus. Invita est in vicino potentia, quam nobis adscriptam velimus, faciliusq; victum restitimus in pristinam conditionem, quàm corrivali illum cedimus. Unde accidit, ut difficulter ipsi fructum hujus usurpationis relinquamus, aut si permiserimus, æmulatione inficiamur. Sic eadem rationes quæ victorem amico junxerunt, illum hosti reconciliant.

18. Ex Fastis constat, incensas magis subinde fuisse à Neutralibus, quàm sedatas vel extinctas dissidiorum flammæ; quæ res plerumque non sine periculo est. Cùm majorum ætate Veneti inter finitimos Principes occultè sererent jurgia, ac turbatis rebus alienas clam invaderent possessiones, Ludovicus XII. Galliarum Rex societate cum Julio II. Pontifice Rom. cum Maximiliano Imperatore, cumq; Ferdinando Hispaniarum Rege contractâ, Venetos triplici prælio fusos fugatosq; ad earum urbium, quas ipsi occuparant, restitutionem compulit. Ac primum per sese Cremonam, Cremam, Brixiam, Bergamum, Giradaddam Mediolanensium municipia: Pontifex Rom. Faventiam, Ariminum, Ravennam, Cervium, urbes Romanæ ditionis, Maximilianus

milianus Pataviam, Vicentiam, Veronam Imperii nomine, suo verò Tarvisium, ac Forum Julium; Ferdinandus arces & portus Neapolitani regni, quæ oppignorationis jure tenebantur, recepit, cum tamen ante bellum satis Pontifici fieri potuisset unius oppidi restitutione: Sed Dominicus Tarvisinus Reipubl. Venetæ Procurator intercessit, cum diceret: *à Venetis quidem arces & oppida capi semper, semel adempta restitui novum & absurdum esse*, ex Bodino de Republ. lib. 5. cap. 6. Laurent. Beyerlinck, in *Theatro vita hum. lit. N. Verbo, Neutrales*. Cujus mali culpam fusius manifestat Fr. Guicciardinus, lib. histor. 8.

19. Majus affulgebit Neutralibus encomium, firmiusque Statibus munimentum, si Pacis se moderatores constituent, inter dissidentes, qui extrema potius subire solent, quam sibi ipsis, honestam licet, pacem offerre. Hoc summæ Atheniensibus laudi vertitur, quòd inter Rhodios & Demetrium obessorem interpositis officiis, pacem contraxissent. Quod illis præsertim observandum, quibus cum alterâ belligerantium parte fœdus est, quod astitatum à Galliæ Regibus in immensam regni utilitatem d. loco notat Bodinus.

20. Nec infrequens inter ipsos bellantes, ut evitentur extrema, clam in tertii alicujus arbitrium descendere, ut hac ratione in firmamentum pacis, & ad propellendam contumeliam, excitetur, res controversas qui terminet. Sic Florentini olim, ut à Pisanorum extricarentur invasionibus, apertis clam consiliis, Duci Ferrariæ autores fuere, ut pacis communis mediator existeret. Summum sanè est, quod ex tali arbitrio in Principem redundat, honoris fastigium, de quo ante alias gentes antiquitus gloriabantur Romani.

21. Quæ honoris prærogativa hodie affulsit Pontifici,

B

fici,

fici, cujus tanquam summi patris inter magnos Principes non vilis est autoritas. Videturq; nulla pro membris esse salus, nisi quæ à sancto profuit capite, unde & Reges filii Ecclesiæ dilecti vocantur. Si quid igitur inter summos Reges agitur controversiæ, meritò illud arbitrio Pontificis committi affirmant. Quia ignem inter duos coronas exortum nemo facile extinguere potest, si non virtutum robore, autoritatisque pondere sufficienter fuerit munitus, quæ ambo in Pontifice eminere nemo hætenus dubitavit. Arbitrium discordiarum Anglia olim sibi vindicavit, verùm corrupta nunc hæresi, uti ajunt Pontifici, tamquam suspecta recusari solet. Et quamvis apud alias quasdam Respubl. sat, quoad hoc negotium, & prudentiæ sit, & autoritatis, tanta tamen ipsarum est æmulatio, tamque evidens adversus alterius ambitionem inimicitia, ut cura ipsius non minus suspecta sit, quam declarati hostis officium. Hinc arbitrii ratione cæteris Romanum præferre solent Pontificem.

22. Quod & ipsa rerum experientia testatur. Amore Mediolani, fragrabant Carolus V. Hispaniarum, & Franciscus I. Galliæ Reges, illud violentissimum ambitionis eorum erat objectum: Quos ut reconciliaret, nullis sumptibus itineribusq; parcebat Paulus III. Pius IV. autor fuit foederis contracti pro subsidio regni Cyprici, quod sub Pio V. conclusum fuit, quamvis infelix secutus fuerit eventus, qui tarditati foederatorum, tempestatibus maris eo anno frequentibus, pestilentia, præsertim cœlesti dispositioni attribuebatur, de quâ re pluribus agit Silhonius in tract. de Ministro Status tom. 1. lib. 2. p. 212.

23. Certò interim sibi persuadeant bellantes ejusmodi pacis Mediatores rarò solere. illotis res agendas manibus aggredi,

aggredi, imò semper instructos paratosq; accedere. Hinc caute & circumspectè cum illis negotiandum esse hortatur d. Auctor, ab impetu enim abhorrent, spernuntque passiones violentas, quæ conturbant discursum, & rationem excæcant. Ex temperamentis, phlegmatico oblectantur, virtutumq; summam ducunt esse patientiam. Recedunt nonnunquam, ut longius consiliorum passus dirigant: plus per obliqua expedire solent, quàm per directà, navigantium more cò dorsum vertunt, quò appellì in votis est. Hoc itaq; ordine actiones dirigendæ, ut cuncta negotia eandem sapiant & sinceritatem. Laudanda ejus, cum quo agitur, integritas, deprædicandusq; illius erga publicum bonum affectus, sique amicitia animadvertatur, illius urgenda est perseverantia.

24. Non tamen affectata sit ejusmodi confirmatio: Vox enim nimium exaltata actus reddit suspectos verbaque nimis colorata, in contrarium rapiunt eos sensum, quibus proponuntur; maximè hinc Logicorum procedit regulâ, quâ dicitur; *nihil probat qui nimium probat*. Notandum pro defensione tantùm dictis utendum artificiis, non ut decipiamus, ne ex præservativo remedio venenum fiat. Improbatur quippe dissimulatio ad proximi interitum directà, quæque velum injustitiæ repræsentat. Falsa hæc dicitur prudentia, ab antiquis damnata, naturæ abominabilis. Quod actiones Cæsaris Borgiæ testantur, qui formam suppeditavit Machiavello describendi principem; quem Deus in furore nasci fecerat, in exitium Italiæ, eorumque interneccionem, qui minus ipso scelerati essent, quem tandem intellectu privatum arbitrio Magni Consalvi puniendum commisit; cujus exitus plenior assertio videatur apud Paul. Jovium, *hist. lib. 8. pag. 346.*

25. Si inter duos potentes Principes bellum exarde-

B 2

at, Neu-

at, Neutralitati studebunt inferiores, ut pacis possessæ commoditatem, fructusque ex partium belligerantium discordiis colligant. Nam sicuti magnorum potentia regulariter ex infirmiorum enascitur Interitu, ita infirmiorum incrementa ex magnorum ruinâ progenerantur. Inferior si ad alterius potentioris Principis favorem se declarat adversus alium æquè potentem, dum amicum quærere intendit, hostem reperit, conditionemque suam deteriore reddi; utilitate quippe amicitias atque inimicitias metiri Principes jam olim Polybius docuit.

26. Princeps qui ad armorum promotionem opus habuit vicini inferioris auxilio, sæpe ipsius indiget provinciâ, ut in tranquillâ vivat pace, quia suspicio, ne idem hosti suo in futurum præstet, quod sibi præstitit, semper eum turbat, & eousq; cruciat, donec illum extranocendi potestatem constituerit. Imò hostis aliquando magis adversus istum irritatur offenditurque, qui bellum fovet, quàm adversus eum qui illud inchoavit; cujus rei intuitu bellum inferioris territorio infert, unde maxima ipsi imminent incommoda, licet enim fœderati auxilio fretus eludat communis hostis violentiam, ab ipsius tamen fœderati præventionibus non est tutus, qui non raro ad necessitatem redigi illum permittit, ut ea sub fœderationis prætextu obtineat, quæ vi apertâ extorquere non audeat. Hinc multissima ipsius loca vel in hostis, vel in fœderati potestatem rediguntur. Quodque unius arma non acquisivêre, illud alterius eripuit protectio.

27. Prudens Norici cujusdam Senatoris fuit consultatio, quâ Unioni ne subscriberet se Civitas, remonstravit. si fœdus hoc, inquit, *ineamus, humeros nostros belli prement onera, incertus rerum eventus, indubitata omnium malorum erit abundantia.*

undantia. Si casu succumbamus, in pradam victoribus cedimus, ab ignavis, ut Philippus loquitur, Principibus contempti. Si ad Unionem inclinaverit victoria, illis, quorum viribus præcipue acquisita fuit, subiecti, residuiq; spoli erimus epimetron. Cumq; hæc confæderatio nihil nobis nisi servitutem ac interitum præfagiat, veteri statu nitamur, superioribus obsequia, vicinis officia testemur, ut in tranquillitate nos pax foveat, & inconcussa maneat libertas, Casp. Londorp. tom. I. actor. publ. lib. I. cap. 16.

28. Cavendum Interea Inferioribus, ne bellorum incommoda suos quoque Status involvant; licet enim illi non infestentur hostili violentiâ, sufficit tamen, si Invasionibus ac Irruptionibus agri vastentur pulsisque per metum Incolis, relinquuntur inculti ac impediuntur commercia, quibus sublatis, artificum collegia fame contrahescunt; negotiatores aliò transmigrant, solitudo in artibus est, & quod maximum est, præcis lentoque igne consumptis nervis, paulatim ipse collabitur principatus. Hisce in casibus, & quando Vincens non contentus reportatâ ab hoste victoriâ, cursum ad ruinam Principum inferiorum extendere potest, tunc missâ Neutralitate parti devictæ submitienda auxilia, hoc ipsa ratio efflagitat, ac inevitabilis, jubet necessitas.

29. Proderit hæc clandestina declaratio, quæ fieri transcriptis consiliis solet, missoque tacite nummorum subsidio, absque apertâ armorum vi. Hac ratione à limitibus nostris hostilia arcemus arma, meliusq; ipsius revelantur consilia quem formidamus: Imò certior omnium à nobis fieri amicus potest, ipsiusq; Impediri ne terminos suos adversus Statum nostrum egrediatur. Magnatibus nonnunquam prodes-

se volunt habere linguam à corde diversam, simulareque quando ipsis nocere potest sinceritas.

30. Si vires nobis fuerint sufficientes, quibus suppetias ferre possimus foederato, statusque nostros defendere, si hoc exigit necessitas, & Princeps vicinus, non ita potens sit, ut ante hostem profligatum, nostras invadere queat provincias, tunc absque periculo ipsius amplecti partes possumus. Si vero infirmior sit foederatus, sat autem potens Vicinus, cujus arma metum incutiant, nosque in casu necessitatis nulla ab amico expectare auxilia possumus, inconsultum erit ipsius sequi partes. Et quamvis nihil perderemus, molestum tamen esset alere indefinenter praesidia in nostro territorio, continuaque suspitione involvi, & quod consideratu dignissimum est, omnem hostis molem nobis attrahere, si cum foederato, nobis exclusis, pax contracta esset, vel factae induclae.

31. Varias causas, quae ancipitem ad amplectendam Neutralitatem commovere queant, ordine recenset Neumayer in tract. de Neutralitate, quem publicis actis inseruit Londorplus, Tom. 1. lib. 10. cap. 39. & seqq. Quarum selectiores, pro evitando Lectoris fastidio, extrahere, easque novis rationibus exemplisque illustrare visum est. Primam paci & quieti attribuit, remque incolarum Lais & Jabes firmat exemplis, de quibus Judicum cap. 18. v. 17. & cap. 21. v. 9. agitur. Verum, male illis cessisse consilium, ipse textus probat, quoniam gladio & igne consumpti sunt; Nec injuste de illis sumptum esse supplicium Osiander tradit, qui enim in seditione aut bello ejus populi, cujus ipsi pars sunt, neutri parti se adiungunt, eos hostium loco habendos semper à prudentibus viris judicatum est. Rectius quadrat exemplum Venetorum qui pace suam contenti nihil contra adventantem Carolum
IIX. ho-

IIX. hostiliter moliti sunt. Cur verò se aliis, dum rediret, sociaverint, sat eruditè exponit Paul. Paruta, *in discurs. Pol. lib. 1.*

32. Idem agnatio vel amicitia suadet, quæ nobis cum utroq; bellantium est; Vel quando uni vel alteri parti nos adstringit obligatio, quod ex fœdere patescit Schmalkaldico; jusserat quippe Carolus V. Imperator ut immediati imperii Nobiles, nulli fœderatorum admixti partibus, vel sibi inservirent, vel quieti incumberent. Eadem ratio est, si vigore contractus à bellantibus celebrati quibusdam concessa est Neutralitas: sic in bello inter Franciscum I. & Philippum Galliarum & Hispaniarum Reges diserte actum erat, ut Neutralitate gauderet Sabaudiarum Dux, *Metteran. lib. hist. Belg. 1. Fr. Guicc. lib. hist. 18.*

33. Par Judicium erit, quando ambæ belligerantium partes nobis fœdere sunt junctæ: Ita Helvetii nec Imperatorem, nec Galliarum Regem armis juvare volebant, modò tamen ab utroq; intactum maneret territorum, *Alberic. Gentil. de jur. bell. lib. 1. cap. 14.* Sic, si averti queat periculosius bellum, & major evitari dissensio; Clemens VII. Pontifex immotum se gerebat, dum de expugnando Mediolano armis certarent Carolus V. & Franciscus I. ne junctis Ecclesiarum armis majori malo affligerentur Christiani, *Fr. Guicciard. lib. hist. 15.*

34. Eodem opus erit consilio, quando partes dimittentes, ut jam supra monitum est, in æquilibrio conservare decrevimus. Ambitio enim nunquam possessis contenta, affectus est adeò naturaliter Imperantibus Impressus, ut regulariter non nisi Status augendi fiduciâ nutriantur, quò formidabilem in alios acquirant potentiam. Dominatio mensam refert deliciosis exornatâ ferculis, autoritate nimirum, cõmoditate, gloriâ & reputatione, quibus nunquam Principes satiantur;

tur; quæ ostendere ipsis avulso usu velle, iudicii esset infirmitas. Sic Veneti metuentes sibi ab elevatori Galliarum Regis potentiam, Neutrales mansere, ne excrescens novi hospitis fortuna aliis damno, sibi exitio esset, *Fr. Guicciard. lib. hist. 4.*

35. Quod ad vicinos attinet, præseribi non potest regula certa cautionis, propter occasionum varietatem, unicam exceptam, quæ semper tenet. Ea est, *Princeps huic rei perpetuo invigilet, ne quis ex vicinis in tantum excrescat, vel novis territorii augmentis, vel commercium ad se trahendo, vel propius accedendo & similibus, quò majorem nanciscatur ledendi potestatem, quam antea habuerat.* Sanè durante illo Triumviratu Regum (Henrici 11^o Angli, Francisci 1^o Galli, & Caroli V. Hispani, ea viguit inter ipsos diligentia, ut nemo trium vel palmam terræ acquirere posset, quin reliqui duo rem statim ad æquilibrium deducerent, neque pacem fœnore redimere sustinerent. Idem præstabat fœdus illud, cui Guicciardinus securitatem Italiæ attribuit, contractum inter Ferdinandum Neapolitanum, Laurentium de Medicis Florentinum, & Ludovicum Sforziam Mediolanensem. Nec recipiendam esse volunt sententiam quorundam ex Scholasticis, qui defendunt bellum justè non suscipi posse, nisi ob injuriam aut provocationem præcedentem. Siquidem justus metus imminentis periculi, etsi violentia aliqua non præcesserit, procul dubio belli causa est competens & legitima, *Fr. Bacon. de Verulam. Sermon. Fidel. cap. 19.* Minimè tamen ferendum esse quod quidam tradiderunt, jure gentium arma rectè sumi ad imminuendam potentiam crescentem, quæ nimium aucta nocere posset, arbitratur Hugo Grotius in *tr. de jure belli & pacis, lib. 2. cap. 1. vers. 17. edit. Paris.*

36. Nec aliam incedere solemus viam, quando semel alicui

cui præstitimus, & quidem absque compensatione, auxilium
 Æquum esset partes sustinere vicini bellicis turbis pressi, il-
 lumque propriis elevare viribus, modò certi essemus de
 gratitudine illius. Cùm verò ea sit hominum natura ut tam-
 diu amicitiam servant, quamdiu eam judicant esse necessa-
 riam, quam in odium convertunt, quamprimum eâ carere
 se posse arbitrantur, cautiùs hîc agêdum; Turpe cùm sit non
 referre beneficiis gratiam. Dicunt Ægyptios supra cæteros
 mortales, quicquid bene de ipsis meretur, mente gratâ pro-
 sequi, gratiæ retributionem maximû vitæ præsidium esse ju-
 dicantes. Siquidem palam fit, omnes ad benefaciendum illis
 propendere maximè, apud quos gratiæ thesauri quàm pul-
 cherrimè recondantur, *Diodor. sicul. Biblioth. hist. lib. 1. n. 90.*
 Hac ratione commoti Florentini auxilia denegarunt Ludo-
 vico XII. Galliæ Regi bello Ferdinandû Arragoniû adorturo.

37. Sic, quando apud vicinos onere suspicionis grava-
 ri nolumus, præsertim Status ostentaturi libertatem
 neutris sociati sumus partibus; quo respectu Veneti o-
 lim à fœdere Hispanico abstinuerunt, ne apud Turcam,
 aliosque Principes minueretur existimatio, obumbrare-
 tur parta libertas, *Thesour. polit. part. 1. fol. 119.* Et Cominæus,
 lib. 7. commentar. cap. 4. ubi dicit: *Aux Venetiens fut re-
 quis de par le Roy qui ls voulsissent donner aide & conseilen la
 diète entreprinse: lesqnels feirent responce qu'il fut tresbien ve-
 nu; mais quil's ne luy pourroient faire aide, pour la suspicion du
 Turc (combien qu'ils fussent en paix avec luy) & que de conseiller
 à un si sage Roy, & qui a voit si bon conseil, ce seroit trop grande
 presumption à eux, mais que plustost luy aideroient, que de luy
 faire ennuy.* Hinc Don. Juan Vitrian, in scholiis suis ad dict.
 Cominæi locum, inquit: *Los Venecianos (cuyos acreçent ami-*

C

entos

entos constaron de su neutralidad, o en ella los constituyeron ellos siempre) aora le pusieron al Rey Carlos en cuenta de un grande servicio, el ser neutrales, por amor suyo, en esta ocasion de su jornada à Italia, y no declarar se le contrario en ella. Entendiolo ansí este Rey, y tomandolo en cuenta en favor, embió à darles las gracias. Quorum generosa exordia, progressus illustres, & duratura in omne tempus virtutum miracula facundo scribendi genere propugnavit Theodor. Graswinckelius in tract. de libertate Venetâ. Nec ipse veritus fuit Cominaus admirandam imò incomparabilem, in illis de prædicare consiliorum prudentiam, d. cap. 4. ubi sic infit: Car pour aujourd'uy je cróy leurs affaires plus sagement conseillés, que de Prince ne communauté qui soit au monde. Ratio em dictis addit Vitrianius in Schol. lit. C. Que la Republica de Venetia se gouverne bien, y en sus consejos y respuestas sea causa y prudente con los Embaxadores, no es maravilla, porque consta su Senado de muchos consejeros viejos y praticos en todas materias de estado y hazienda, perpetuos por Succession en su Republica, en la qual nunca ay gobierno nuevo.

38. Licet abundans esse videatur in metu amittendæ libertatis vel eminentiæ residens cautela; constat quippe nihil supremæ Imperantium derogari gloriæ, Majestatisque plenitudini, quantumvis provincias suas, territoriaq; omnia potentioris forsitan Principis clientelæ cõmiserint, ejusq; Patrocinio vel fœdere nitantur; hoc n. absoluta in suos jura haud abdicasse cõsentur; quid ni ergo illis etiam nũ cõpetere integra & illibata majestatis regalia existimaverimus? cum Joh. Bodino, lib. 5. de Republ. Thom. Michaël, de Jurisdic. concl. 55. Ventur. de Valent. in Parthen. litig. lib. 1. cap. 16. nu. 12. Quod & jamdudum elogio J. Cti Proculi firmatum cernimus in l. non dubi-

eo §. ff. de captiv. & postlim. revers. ubi his intonat verbis: *Lib-
ber populus est is, qui nullius alterius potestati subiectus est, sive
in fœderatus, sive a quo fœdere in amicitiam venit, sive fœdere
comprehensum est, ut is populus alterius populi Majestatem comi-
ter conservaret: Hoc enim adjicitur, ut intelligatur; alterum
non esse liberum. Et quemadmodum clientes nostros intelli-
mus liberos esse, etiamsi neque autoritate, neque dignitate, neque
viribus nobis pares sint: Sic eos, qui Majestatem nostram comiter
conservare debent, liberos esse intelligendum est. Est autem co-
mitter alterius conservare Majestatem, pro ejus saltem hono-
re, salute & autoritate laborare, quæque illi derogare videan-
tur, amoliri, Henning. Arnif. de Majest. lib. 1. cap. 4. nu. 9. Idq;
est, quod Ætoli Romanis fœdere promiserunt, se Imperium
Majestatemq; Populi Rom. conservaturos sine dolo malo,
neque exercitum, qui adversus Socios, amicosque eorum
duceretur, per fines suos transire passuros, neve illum ope
adjuturos, eosdem hostes habituros, quos Populus Rom., ar-
mâque in eos laturos, Liv. in hist. Rom.*

39. Secus si arbitraremur, extincta fuisset Caroli V.
Ferdinandus I. Maximilianus II. Imp. Majestas, quod Gustavo,
Erico & Johanni Sueciæ Regibus Livoniam in tutelam com-
miserint, David Chyrr. lib. 28. Saxon. Idem, ratione amitten-
dæ Libertatis, de Belgis judicium esset, quod rebus turbatis,
apud Angliæ Reginam protectionem quæsiverint, Eman.
Metteran. lib. 13. rer. Belgic. Solent etiam Principes clientela-
res salvo jure superioritatis aliorum se committere patroci-
nio, ut de subjectione disputandi præcidatur occasio, Regner.
Sixtin. de Regal. cap. 9. nu. 86. Gregor. Tholos. de Republ. lib. 11.
cap. 11. nu. 6. Patrocinio Potentiorum sustultos se voluisse

C

2

Prin-

Principes quosdam, ut hoc Ipso à subjectione Immunes se docerent, annales testantur.

40. Non obesse Neutralitas videtur, quando utriusq; vel alterius partis metuitur offensio: Sic Helvetiis Pontificiæ religioni licet addicti, bellum tamen 1546. inter Cæsarem & Protestantes exorto immisceri noluerunt; Maxima quippe Status illius hæc regula est, ut in unione coalescant cives nec religione, nec æmulatione patiantur se corrumpi, quæ soli sunt morbi, qui ad procurandum ipsis interitum sufficiunt. Orofernem per injuriam regno pulsum, recepit supplicem Demetrius ac in Imperium restituere decreverat. Ille verò Ingrato animo in ita cum Anthiochensibus pactione offensum Demetrio, pellere ipsum regno, à quo restituebatur, consilium cepit, *Justin. lib. 35. cap. 1. num. 3.* solent & aliàs odia fingere homines, quò occultius fallant, quod Tacitus innuit, *lib. XI. Annal. cap. 44. ibi, simulat à adversus patrem discordiã.*

41. Vel, quando uberiores ex Neutralitate fructum, quàm ex conjunctione armorum speramus. Hoc ducti consilio Veneti, incrudescente inter Carolum IX. Galliæ, & Alfonso Neapolis Reges bello, neutri adhærebant parti, sed suâ tunc temporis contenti sorte rerum exitum præstolabantur. Genua prima post Venetam in Italiã Respubl. admirabili Andreae Auriaz prudentiã Gallorum jugo subtracta, Hispanorum se patrocinio commisit. Diffidiis postea inter Hispaniã & Galliã Reges excitatis, adeò consideratè rebus suis prospexit, ut excitatâ offensione Gallorum, à fide Hispanis datâ nunquam discesserit.

42. Hujus immemor Carolus Emanuel Sabaudiaz Dux, quòdque instigatus à Lusitanâ Conjuge Francisco I. transitum recusasset, cùm tamen serie antehac continuatâ Sabaudiaz

Sabaudia Ducis Gallia Regum agnovissent arbitrium pace inter Caesarem & Franciscum contracta exclusus fuit & consequenter omnibus Imperiis in suos spoliatus: Quae tamen non multo post, singulari ingenii acie in antiquum libertatis gradum restituit Emanuel Philibertus filius ipsius, posterisque ponderandum reliquit, quantis difficultatibus curisque conficiatur Princeps viribus inferior, qui duorum Regum pugnantium medius sustinere cogitur potentiam, *Vittor. Siri, in Mercur. tom. 1. lib. 1.*

43. Nec non, quando imminutas esse bellantium inter se vires optamus. Hoc artificio enutritus Alexander VI. Pontifex, erumpentibus inter Columnios & Ursinos factionum flammis, neutri auxilium dedit, *Guicciard. lib. hist. 4.* Hoc casu illa praecipue cautio tenenda est, ne facile Princeps affectu in hanc illamve partem corripatur: Sed ut nullis discordiis imbutus pari in omnes studio agat, *Tacit. lib. annal. XI. cap. 16.* Mediolanenses Imperii Gallici statim tædunt, cum Jacobus Trivultius, Guelforum caput, à Rege Praefectus Gibellinis se iniquum praebuit, *Guicciard. lib. hist. 4.* Margaretha Henrici VI. Angliae Regis uxor, cum inter Somerseti & Warvici Ducis mediam & neutri addictam se gerere posset, imò deberet; illius partes secuta seq; & maritum pessum dedit, *Polyd. Vergil. lib. 13. hist. Angl. Comin. 6. comment.*

44. Eadem esse potest consideratio, si metus est, ne aliorum, nobis bello immixtis, dissidia intestina erumpant: quod in vastis saepiuscule accidit regnis. Ex distantibus terrarum locis consilia post res afferri Tacitus existimavit. Ut luna, aiebat Princeps quidam, movere inferlota, non quòd efficacior, sed quòd vicinior sit: ita multum habet momenti ad motus belli sedandos, vicinitas Regis. Prudens hac in parte

Tiberius, quem legimus provincias internis certaminibus festas suâ præsentia fovisse. Galliaæ Rex ad motus usque Bohemicos quieti indulgit, quam postea, compositis regni factionibus, suadente Cardinale Richelio in armorum strepitus convertit. Idem usuveniet, si instat periculum, ne exeuntibus nobis, aliisque opem ferentibus, vicinus limites nostros invadat, quæ causa fuit, cur bello Smalkaldico interesse noluerint Helvetii, *Sleidan. lib. histor. 18*. Antequam aliis bellum inferatur, res domi firmatas esse oportet. Cui bono, alienum agrum serere, proprium incultum relinquere? Armis Imperialibus in agro Mantuano dispersis, facilius evasit Suecorum in Germaniam adventus, *Vittor. siri, in Mercur. tempor, current, Tom. 1. lib. 1.*

45. Stad Neutralitatem cogat necessitas, à sententia affirmativâ diverti religio est; Necessitas quippe legem non habet, imò ipsa lex necessitati subjecta est, *l. 7. ff. de admistr. tutor.* Unde & Orpheus in hymno noctis scribit; gravem necessitatem omnibus dominari, cum inculpabile judicandum sit, quod necessitas intulit. Sic omnem vim olim minatus fuit Imperii Statibus Albertus Brandenburgicus, *Sleidan. histor. lib. 24. in princ. ibi; nunc autem obtemperandum esse: futurum alioquin, ut in eos qui recusent, animadvertatur.*

46. Patrociniū denique præstat Neutralitatem profitentibus communis opinio, quâ subnixa, immotum sedere, quam aliorum turbis admisceri tutius ducunt. Quæ sententia procedit, si opinio ratione suffulta sit, alias nihil est, quàm fallax de rebus omnibus & futile iudicium, vana rationis imago, ac umbra malè consulens, pessimè iudicans, *Iust. Lips. lib. 1. de const. cap. 4. & 5.* Hinc sæpius accidit ut Doctores opinionum sectatores similes sint avibus, quarum unam prævolantem turmatim sequuntur reliquæ,

*Decius. consil. 494. Rectè Zafius inquit; nihil apud me loci ha-
bet opinionum, quæ circumferuntur, autoritas, nisi juris scripti
veritas eas exornet, lib. 2. sing. respons. cap. 1. nu. 26.*

47. Ut mente concepta ex usu Reipubl. procedat
Neutralitas scriptis dictisque bellantium partibus insinuan-
da non tantum, sed etiam exulante adversus utramque par-
tem offensione vel hostilitate servanda est, ita ut nihil per di-
rectum vel obliquum bellantibus nocere videamur. Dum
in Italia inter Galliarum Regem & Magnum Hetruriarum Ducem
bella moverentur, Pontifex ut Cosmo gratificaretur, neque
se omnino infestum Gallis ostenderet, edito professus est,
neutri se parti eo in bello optulari velle, sanxitque poenam pro-
positam, ne quis ex sua conditione subditis alterutros ope auxilio-
ve juvet, *Thuan. lib. histor. 14.* Inter neutrales enim censeri
non debent, qui sese alteri addixerunt parti, unique duntaxat
favent: Neutralitatis enim jus hoc ipso violatur, *Thucyd. de
bello Peloponnes. lib. 2.*

48. Hoc animadvertentes Helvetii Anno 1546. Ba-
denarum conveniunt & Protestantium Legatis, quos tunc ad-
esse jusserant, respondent: dolere sibi plurimum, istud inter
ipsos atque Cæsarem excitatum bellum, neque esse, quod
potius velint, aut magis optent, quam pacem: Ideoque nolle
prorsus immiscere se huic bello, nec in alterutram inclinare
partem, sed arcere à suis finibus militem externum, ac transi-
tu prohibere, & suos continere domi, quantum quidem pos-
sint: Idecirco jam edixisse graviter, ne quis militet, sed ut o-
mnes imperium Magistratus expectent, & ad patriam defen-
sionem intenti sint: nihilo tamen fecius abisse multos in mili-
tiam, quos ipsi conduxerint: id sibi esse permolestum: itaque
rogare, ut & illos dimittant & domum redire patiantur, *Joh.
Sleidan. lib. histor. 17.* Palam

49. Palam quidam externisq; actibus Neutralitatem profiteri satagunt, subinde tamen alterutram ex partibus clandestinis fovent auxiliis. Ejectum à Bervicensi Eduardum Angliæ Regem excepit Carolus Burgundiæ Dux, & ne multorummodia uno & eodem tempore in se concitaret, palam quidem simulabat, se nullam ipsi opem ferre idque publico edicto cavuit: clanculum autem inrepositis aliis, juvit eum erogatis jam quinquaginta millibus aureorum, & classe quatuordecim navium, quæ res malè forsan cessisset, nisi in Angliam reversus pugnâ feliciter commissâ insignem de Bervicensi victoriam retulisset. *Comin. commentar. lib. 4.*

49. Quod uni partium præstatur, id jure & sibi deberi altera arbitratur. Ducatus Neuburgici incolæ instanstissimis precibus eò Gallicani exercitus Imperatorem Comitem Guebrianum commovere tentabant, ut intuitu Neutralitatis, præsidii Duracum aliaque ejus regionis loca evacua-
ret. Qui respondit, sincere à se Neutralitatem servatam esse, eo momēto sublevaturū territoria præsidio, quo certior esset, suis emissis, nō eadem in loca ingressuras esse hostium copias. Quod ad tributa attineret à Rosâ postulata, non existimare se addebat, exinde infractam esse Neutralitatem, cū & eadem inimicis hætenus erogata essent, *Vittor. Siri, in Mercur. temp. curr. tom. 1. lib. 1. pag. 308.*

50. Haud adversans esse Neutralitati censent Politici, eum suppeditatis utrique parti consiliis, utriusque salutis prospicitur; id enim foederis æquitatisque suadere officia videntur. Adventante in Italiam Cæsare, Andreas Auria cum triginta quinque onerariis, & quadraginta octo rostratis navibus Messanam venit, unde solvens Hiemeralem Ottomanicæ classis præfectum, nequaquam militariter instructum aggredi

aggredi decrevit. Erat tum ad Zacynthum insulam Venetorum classis sexaginta triremium Vicentio Capellio Præfeto, qui insulas & urbes, littoraq; Veneti Imperii curâ vigili tuebatur, utrique jure foederis amicus & hospes, nulli socius, spectator tantum, sed ex professo illis futurus hostis, qui subiectis Veneto nomini populis terrâ aut mari vim intulissent. Fuere qui crederent Venetos, ut neutris æquitate officii deesse viderentur, uno tempore & Aurix de Turcarum classe per Corcyreos myoparones significari jussisse, & monuisse item amicè atque opportunè Himeralem, ut Ambracio sinu quamprimum eductâ classe, Jonio mari excederet, ne ab Aurianis triremibus, quæ apparatu celeritateq; præstarent, dum parum salubri statione moram inutilem trahit, deprehensus opprimeretur, *Paul. Jov. lib. histor. 31. in princ.*

51. Majoris momenti succedit quæstio, an nempe Q. elevatoris potentix Principes inferioribus permittere Neutralitatem debeant: Ipsâ veritate subnixum est, tam ægrè magnos Principes ferre, si inferiores ex suis ditescant spoliis, ut victus exinde æmulatione, vincens desiderio flagret, partibus victoriis, illud quod acquisitum nondum est, adnectendi, invento novæ causæ prætextu. Hinc si alterutri nocitura sit Neutralitas, cessare illam faciet, qui ad hoc sat potens est, ne spectator ex alterius potentior evadat interitu. Duo Principes inter se commissi, Tertium si admittant spectatorem suarum contentionum, ipsi quasi earum arbitrium committunt. Sic Vulpes leonem & ursum prælio defatigatos animadvertens, quamvis timida, propius accessit, prædamq; certaminis materiam abripuit.

52. Licet vicinorum Principum Neutralitas non in tantum illorum elevet potentiam, ut se potentioribus indice-

D

re bel-

re bellum valeant, Interim tamen victoris aliquando sistunt
progressus, victumq; circa restorationem jacturae impedi-
unt, conatibus obstaculo existentes, ad quos promovendos
arma arrepta sunt. Facta per vicinum tempestivè declaratio
pro partibus, declinantis sæpe repressit victoris potentiam,
ipsiq; præensiones, vel pacem damnosam emendicandi ne-
cessitatem imposuit.

53. Vires minimæ magnis junctæ allas ante majores
superare possunt. Unicum granum deprimat lancem, quan-
do pondus in æquilibrio est. Tarentini bello cum Romanis
involuti, cum Pyrrho arma conjunxerunt eaque ratione tan-
tas illis crearunt molestias, ut parum abfuerit quin famosam
hanc Rempubl. suo dominatui subjecerint. Magdeburgum
postquam Suecorum partibus se addixisset, adeò Tillii exer-
citus imminuit, ut, dum alibi Suecorum res feliciter succe-
derent, multi existimarint exinde manasse jacturam prælii ad
Lipsiam commissi.

54. Sicut facile est judicatu, cum, qui Neutralitatem
fovet, eâ intentione niti, ut conflatis inter alios turbis, pacem
regionis conservet & tranquillitatem, emergenteque occa-
sione subveniat oppresso, vincentem deprimat; ita dubium
non est, quin tacitè inimicus sit consiliis, ad quorum execu-
tionem ad arma deventum est. In quo Statu si relinquatur,
nihil aliud est, quàm si sub cineribus ignis foveatur, qui exci-
tatus ea quæ fortuna dedit, consumere possit.

55. Si ergo in Principe Neutralistâ nihil aliud sperare
possumus, quàm prosperitatis nostræ turbas, victoriarum ob-
stacula, conatum interruptionem armorumq;, loco sola-
minis concepti, favores coactos fucatosque, palliata artificis
auxilia, maximè est controversum, an tutius sit cogere Princi-
pem.

pem ad se declarandum, & pro aperto hoste potius, quam pro subdolo fictoque habere amico.

56. Si aliquid juvare possent comminationes, inconsultum esset fictam tolerare amicitiam: Ast experientia, verum rei politicæ speculum, reddit manifestum, ne amicus eò adigatur, ut alterius se committat patrocinio, tolerari nonnunquam id, quod hac ratione cessante sustineretur nullatenus. Lupus cum propè agnum stare canem animadverteret, rogavit illum, ut ad gregem se reciperet. Et canis Leporem in arbore videns petit, ut descenderet. Viri prudentes, quando negotium aliquod difficilis esse executionis animadvertunt, oculis illud adspiciunt, judicio considerant, non illico manibus tanguant: Stultitia est inutilibus malum exasperare remediis. Vulpes cum attingere uvas non posset, ad hortulanum dixit, nondum esse maturas. Non oberunt factæ postulationes, si absque damno est recusatio: aliquando plus non petendo, quam rogando perdimus. Qui audacter petit, timorena incutere atque obtinere postulata potest, is qui timidè petit, pusillanimitate proditâ, viam recusandi ostendit. Greges contumaces rauco potius clamori pastoris, quam tibiæ ipsius vel cantilenis parent.

57. Si observaverit Princeps vicinos suos paci addictos, parti adversæ amicos, potentiorumque infensos exaltationi, eorumque provincias inter suas easque adversarii positas, pro apertis illos hostibus, quam pro amicis fucutas habere ipsi utilius erit. Melius & in hoc casu prævenire, tutiusque eorum petere quam expectare declarationem.

58. Quando nocebit negligere & permittere Neutralitatem, inferior, quem aggressura est altera partium, magis adstrictus est ad propriam; quam ad alterius defensionem:

D 2

Metus

Metus enim ne tempestivè ab amico transmittantur auxilia, vel ne in proprias provincias arma fœderatorum introducantur, neve continuâ suspicione maceretur, argumenta persuasoria sunt, quibus vel ad compositionem, vel amicitiam conditionatam, vel ad similem aliam utilemq; resolutionem adigitur, præsertim cum rarò consultum sit inferiori eminentioris inimicitia gravari, quamvis ab æquè potente affulgeat ipsi patrocinium; clarum quippe certumq; est, tales, dum unus hostes sunt, alterius vasallos evadere. Fugiendum haud est incendium, ut in aquarum vorticem nos conjiciamus. Sic è contrario pro errore non habetur, audax inire consilium, quando lenta malè succedere possunt remedia. Qui Status suos augere decrevit, nunquam inferiori Neutralitatem permittet, præsertim si damna exinde Statibus suis imminentiâ metuere necesse habet. Actionum quippe suarum testes relinquare, est tacitè suarum controversiarum tōlerare Judicem, qui sententiam sæpe in suimetipsum favorem pronuntiat.

59. Neutralistæ qui alendis inter alios discordiis student, pro tranquillâ pacis conservatione, durantibus aliorum dissidiis, semper victoris inimici existunt, atque enatâ occasione elevat inferiorem; Hosce ad declarationem adigere consultissimum est, quos si propria rerum premat necessitas, relictis aliorum negotiis, potius id perpendunt quod ad se, quàm quod ad vicinos spectat. Quævis illis pavorem incutit victoria; quivis amicorum illis suspecti sunt progressus; ac dum metuunt inter hosce conteri scopulos, sæpe naufragi ibi offendunt interitum.

60. Sæpe utile est ad declarationem adigere vicinos, ad promovenda Status negotia, ut ad com meatum necessaria
com-

comparentur, tributa indicantur, ad sustentandos reficiendosque exercitus, utque in alieno territorio belli moles sustineatur. Tam proficuum est in alieno solo bellum, quam nocivum est in proprio. Utilis parsimonia proprii pallii est, quando pluviam ingruente pallio amici velari non possumus. Verè moderari expensas dicitur, qui ex alienamensam cibum capit.

61. Ut verò constet, quando ad declarationem cogendus vicinus, considerandum, an uni vel alteri parti optet victoriam. Nam si necesse est ei unius vel alterius sperare exaltationem, dubium non est quin illius amplexurus sit partes, à quo majus expectat emolumentum; quæ Neutralitas aperta hostilitate damnosior est.

62. Impossibile est adversus fictum se tueri amicum, qui talem se asseverat, ut eò melius hostis representare personam possit. Ictus gladii obtusi, ut animum lædendi dissimulemus, contusiones operantur, occlusaque vulnera, intus alunt malum, quod pus emitteret, si aperta essent. Fucata amicitia fructui similis est, qui visui satisfacit, ori amarorem instillat. Lupus sub frondibus latitans ovinam contectus veste, agni amicum se simulat, quem dolo illectum devorat. Sic Amasam pacis amicitiaque simulatione incautum interfecit Joab, 2. Reg. cap. 20. vers. 10.

63. Difficile est magno Principi Statum ejus invadere, qui in æquali est potentiâ: Ast faciliè est inferioris occupare provincias, quando non desunt prætextus ad belli indicationem sufficientes; Ideoque utile est illum adigere ad declarationem, ne tolerando damnosam Neutralitatem, nobis ipsis Injuriam faciamus. Nam si vincimur, eadem ipsi nobiscum fortuna est; si vincimus, domum se recipit, nihil contra

eos tentaturus quibus sociatus est. Nec obstat, quòd declarando se pro alio, nocere nobis possit, quia rarò accidit, ut Princeps inferior junctus potentiori, alium potentem oppresserit. Econtrario infiniti perierunt, quòd aliorum bellis immisceri voluerint, multiq̄ue ex inferiorum interitudine sunt.

64. Permitti Neutralitas potest, quando declaratione videtur utilior, quod contingit, si unius Principis Status procul ab alterius territorio siti sunt, siq̄; magnum hosti præstare potest auxilium, illumq̄ue Princeps, qui declarationem urget, offendere non potest. Hic si ad declarationem adigitur, nimiam ne acquirat bellandi peritiam, verendum est; quã tandem erectus, ingentia alterutri belligerantium inferre damna potest. Illi minas inferre, qui timoris expers est; promissis eum lactare, qui parvi promissa facit; illumq̄; irritare, qui nocere potest, non absq̄; errore esse à Politicis judicatur. Econtrario, dissimulationem cum eo exercere, qui nihil timet, blandiri ei qui contemnit, sedare eum qui nocere potest, pro summâ prudentiã habetur. Populum otio mancipatum ad arma proritare, est illum in militaribus exercere, victuq̄ue difficillorem reddere. Exercitium belli ac miseria populi fortissimæ Status defensiones sunt. Nam quibus res est cum miseris, successum habent illi incertum, damnum certissimum, & absque fructu victoriam.

65. Consultum aliquando est, in otiosâ tranquillitate Statum relinquere, cujus metui vires debent. Arma quæ otii rubigine inducuntur, animi qui in delitiis vilescunt, ingeniaque quæ occasionis obtundit defectus, armis resistere nequeunt diuturno exercitio induratis, refragari non audent generosis & infractis pectoribus, nec rem habere cum ingenis

nili arte politis, longaq; experiētiā firmatis. Otiosorum divitiarū laborantium spes sunt: pacificorum requies bellantium scopus est: pusillanimatorum mollities fortium est remuneratio, quæ omnia maximi Status infesti hostes sunt.

66. Toleranda quoque Neutralitas est, quando divitijs Princeps vicinus abundat & subditis, ex quibus pro lubitu formare exercitum, maximumq; parti, ad quam inclinat, adferre auxilium, & consequenter perimere provocantis conatus potest. Quia dum obtentā Neutralitate in otio se conservat, vilescere incipit ipsius autoritas, adeo ut hostem à nobis prostratum erigere non possit, cum intempestivum tunc sit, novis copiis veteranos aggredi milites, quâ ratione in ipsius territorio belli sedes eligitur, ipsiusque collecti thesauri ad eadem milites consilia invitant, quæ unquam suscipere hostes potuissent. Latitantes urbes Romanarum spectatrices, otio maceratae, dum exercitio armorum incumberent Romani, ab his invasi oppressique fuere, quod infortunium aliter agendo deflectere potuissent, quam rem fusiori elegantia delineat Autor Bellatoris *Prud. & Pol. 1. cap. 47.*

67. Obtentā, non semper uti conducti Neutralitate: quamvis enim peregrina bella proficua esse videantur Neutralitatem professis; effectu tamen siq; rite illorum examinentur eventus, plus damni sæpe, quam utilitatis inferunt. Gratus ignis ad spectus est, quia procul abest incendium; facile interea ipsius extendi possunt flammæ, summoq; illos, quos tangunt, involvere periculo. Bellum quod pro augendis Statibus Princeps infert, absque fine est, semper hoc continuat ambitio victoriæ comes. Missa igitur Neutralitate, uni subinde partium adhærendum, ei que præstanda sunt auxilia. Sed & hic Labyrinthus est Ariadnæ filo indigens. Subnecte-

neēt emus itaque, quæ Boterus, Neumayerus, aliique ex variis autorum scriptis congefserē remedia, suggestere consilia.

68. Licebit alteri ferre suppetias, si absque ferentis damno fieri id possit: Decantata quippe juribusque suffulta est regula, quòd officium suum nemini debeat esse damnosum, *l. 7. ff. quemadm. testam. aper.* Nec enim quisquam contra suam utilitatem alteri providere tenetur, Damnum autem erit, si in pari rerum occasione reciproca ab amico non sperare liceret auxilia. Sic Machiavellus, *disput. lib. 2. cap. 11.* errasse Sidicinos ait, quòd ad versus Samnites Campanorum auxilia implorassent: qui ob domesticum luxum imbelles essent, & ad illos juvandos inepti. Vehementiorem censet fuisse Campanorum errorem, qui imbelles se esse non intelligerent, ac putarent Sidicinos se defendere posse. Utrumque errorem Livius his verbis exprimit; *Campani magis nomen in auxilium Sidicinorum, quàm vires ad presidium attulerunt.*

69. Alia mens Taciti fuit in *Annal. lib. 6. cap. 31.* ubi dicit: *Nomine tantum & auctore opus, ut sponte Caesaris, ut genus Arfacis, ripam apud Euphratis cerneretur.* Non viribus tantum, verum & Nominis existimatione conservari Status memorans. Multum quippe tum apud suos, tum apud exteros præstabit Principis alicujus existimatio. Militum licet facta sit jactura; opinio tamen de Principe, cujus nos fulcit protectio, apud vicinos concepta, amicos in fœdere conservat, hostibus timorem incutit. Huc spectat Ubiorum de Romanorum auxilio elogium: *Tantum esse nomen atque opinionem exercitus Romani, ut etiam ad ultimas Germanorum nationes opinione & amicitia populi Rom. tuti esse possint,* Cæsar. lib. 4. de bello Gall. Suetonius Paulinus inter alias rationes, quæ militare videbantur pro Otthone, & hanc æstimabat, *quod à*
partibus

partibus suis staret Senatus Populusq; Rom. addens nunquam obscura nomina etsi aliquando obumbrentur; dictumque de ipso Otthone, quod provinciæ procul sitæ insequerentur signa ipsius, non propter factiones, sed quia erat grande momentum in Nomine Urbis & prætextu Senatus. Plura ad hanc rem facientia exhibet Scip. Amiratus in *commentar. ad Tacitum hoc loco.* Intelligendum itaque Livianum illud de Nomine ejus, penès quem plus famæ inanis, quam virium potestatisque resideat.

70. Majori pollebit rationis autoritate, quod dictum est de ferendo auxilio, si eò nos compellat necessitas ex offensione partis resultans, cui denegata sunt auxilia. Coloranda tamen & hoc loco artificii erunt Consilia, ne incauti irretiamur, factique, quoquomodo res cesserit, culpa nobis imputetur. Quippe si quis mortalium in calamitatem incidat, quæ provideri ratione humanâ non potuit, nulla est illius, sed fortunæ, & ejus qui nocuit, culpa: Sin aliquis inopiâ judicii manifestò In gravissima se conjiciat mala, nemo dubitat illius esse peccatum. Itaque per fortunam lapsis parata est misericordia, venia atque auxilium: ubi verò propria inest stultitia, opprobrium sequitur & sapientum increpatio, *Polyb. Hist. lib. 2. cap. 7.*

71. Quærendus itaque prætextus aliquis, ne absque causa armis accingi videamur. Archidamus Spartanorū Regi autor fuit, ut missis prius Legatis ad concordiam Athenienses hortaretur, ut quam maximam & speciosissimam belli gerendi causam haberet, si illi nulla in re sibi morem gerere voluissent, *Thucyd. lib. de bell. Peloponnes.* Idem observasse Henricum VIII. Angliæ Regem, antequam Julio II. Pontifici auxilia adversus Ludovicum XII. Galliæ Regem promitteret,

F

Polyd.

Polyd. Vergil. Histor. Angl. lib. 47. Ex cæde Pertinacis occasionem velandi consilii arripuit Severus; simulans non se quidem imperium querere, aut summam potestatem affectare, sed ire ultum sanguinem tanti Principis, *Herodian. hist. lib. 2. p. 97. & lib. 8. p. 320. ibi: agros autem vicosq. concremandos militibus tradebat, pretextu quidem ulciscendi Maximinum: cæterum clanculum militum sibi animos concilians, ut sicuti res à Maximino titubassent, ipse ad occupandum Principatum benevolis militibus uteretur.* Notandum obiter hîc est, differre prætextus & causam, *Polyb. lib. hist. 3. Tacitus, 4. histor. ibi: Libertas & speciosa nomina prætexuntur, nec quisquam alienum servitium & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet.* Suetonius In Julio Cæsare. Prætextum quidem illi civilium bellorum hoc fuit, causas autem alias fuisse opinantur, cap. 30.

Differunt prætextus et
causa.

72. Ad majorem negotii cautelam adnecti à prudentioribus conditio solet; hæc nempe; si in propriis terris per hostem infesteretur iuvandus. Talis erat Atheniensium cum Peloponnesiacis contracta fœderatio *Thucyd. lib. 11.* Ejusmodi sub conditione promissa fuisse à Venetis Paulo IV. Pontifici auxilia, si nimirum armis Philippus II. Hispaniarum Rex Statum Ecclesiasticum aggressurus esset, testatur Mambrinus Rosæus, *in historia mundi, part. 3. lib. 6.*

73. Hinc differentia patet inter fœdus offensivum ac defensivum; scribit hoc intuitu *Alberic. Gentilis, 3. de bello, cap. 18.* Societatis duo esse genera; *συμμαχία* & *εμπυαχία*. Illam, cum eidem utrinque sunt amici, & inimici, hocque modo obligare sibi socios consuevisse Romanos. Alteram, ex dimidio quasi, cum ferre opem habemus socio, injuriâ lacescito, non etiam injuriæ illius sumus adjuutores, aut inferen-

inferendo bello. Plenumq; fœdas fuisse videtur illud Populi Romani cum Latinis in hæcce verba conceptum: *Romanis Latinisq; omnibus, cum cælo & terrâ duratur a pax esto: inter se bellum ne gerunto, aliunde ne inducunto. Ne quem exercitum, qui contra Romanum, Latinumq; adducetur, per suos fines transire finito; neve ullâ ope juvanto. Si contra alios ducant, totis viribus auxilia ferunto, spolia, prædaq; communia sunt, Ærod. lib. 3. rer. judicatar. tit. 5. cap. 6.*

74. Plenum pariter fœdus fuit, cujus meminit Froissardus, *vol. 1. lib. 1. cap. 5.* pactum inter Flandros, Brabantos, & Hannonios. *Qu'ils seroyent de ce jour en avant aydans & confortans l'un l'autre en tout cas: & s'allierent par certaines convenances, que, si lun de trois pays, avoit à faire, contre qui que ce fust, les deux autres le devoient ayder. Et si l'advenoit, qu'ils fussent en discorde, ou en guerre, en temps advenir, les deux ensemble, le tiers, y de voit mettre bon accord: & si l'n'es toit assez fort, pour ce faire, il se devoit traire par devers le Roy d'Angleterre; en la main duquel, ces convenances estoyent dites, & jurees; qui comme ressort les devoit appaiser.*

75. Vicissim fœdus merè defensivum initum fuit Anno Christi 1531. inter Franciæ & Angliæ Reges, cujus articulos refert Martinus Bellayus, lib. 4. commentar. hisce verbis: *Que si l'un ou l'autre Roy estoit assailly en son royaume, le Roy de France seroit tenu, d'ayder au Roy d'Angleterre, du nombre de cinq cens hommes d'armes Francois, souldoyes toussefois aux despens du Roy du dict pays, & pour la defense de sesmers, de douze navires equippees & avituaillees à la raison avec trois mille hommes de guerre, sur icelles navires. Ausby, qui incontinent apres que l'un ou l'autre seroit assailly, seroyent tenus reciproquement d'arrestier tous marchans sujets du Prince, ag-*

gresseur, lesquels pour lors se trouveroient en leurs royaumes. Aussi que l'un & l'autre Prince ne pourroit par cy apres faire traité ny alliance avecques un autre Prince, Potentat, ou Communauté sans le sceu & associement l'un de l'autre.

76. Eò etiam allaborandum, ut auxiliaturis sufficienter caveatur de refundendo, quod passi fuerint, damno. Hunc in modum Imperii Principes 1432. in bello Bohemico auxilia promiserunt Friderico II. Electori Saxoniae, *Fabric. orig. Saxon. lib. 7.* Sic & in protectionibus regulariter defensio fit sumptibus clientis, nisi aliter inter eum & Patronum fuerit conventum. In dubio non praesumitur protector promississe, ut sumptus de suo faceret, etsi annum ipsi fuerit constitutum salarium, *Besold. de foederib. cap. 5. nu. 10. add. Rumelin. ad Aur. Bull. part. 2. dissert. 5. §. 14.* Id quoque observandum, ne illi temere auxilia praestemus, nimis procul qui remotus est à finibus nostris. Quippe nam juxta vetus proverbium, *amici non sunt amici, qui habitant procul.* Quamvis enim amicitiam haud dirimat se junctio locorum, officia tamen interrumpit, *Arist. lib. 8. Ethic.* Monet & Hebraeorum verberbium; potius esse, amicum habere vicinum, quam fratrem procul qui absit: Huc elegans Italicorum spectat proverbium: *Aqua lontana non spegne fuoco vicino.* Sic olim Veneti Pisarum, ut nimis distitarum protectioni renunciarent, difficultatem ipsius considerantes, & magnas, quae eò requirerentur, expensas. Facit & hoc ad amoliendam apud vicinos suspicionem. Metuunt enim semper Principes, ne vicinus major factus intumescat. Hoc notat Gramondus, *Histor. lib. 1.* his verbis: *Italicorum principum eo bello studia contra Sabaudum ibant, plane suspectis Reguli augmentis si praevaleret, qui aliunde plus a quo potens & inquietus erat: Colligunt se vicini Prin-*

ni principes in causam unam, & insectantur collatis unà viribus quem supra modum fortuna extollit.

77. Cùm sæpe plurium requirantur auxilia, eò nitendum est, ut & intuitu auxiliarium vel coadjutorum nobis cautum sit, ne dispersis copiis, nostris tandem humeris belli moles admoveatur. Quod Ferdinando Arragoniæ accidit, qui unà cum Angliæ Rege copias auxiliares pro Julio II. pontifice adversus Galliæ Regem ad expugnationem Bajonæ duxerat, post ab alienatis Anglorum animis, solus infesti belli onera sustinere coactus fuit, *polyd. Vergil. lib. histor. 27.*

78. Majoribus tricus involuta res est, si fidelitatis ei nexu adstricti sumus, adversus quem tertio ferenda sunt auxilia; Resignanda esse pro tempore beneficia, refutanda vel resignanda in manus Domini esse feuda docuerunt quidam, facile amnestiam præteritorum memoriam abolituram demonstrantes, modò tempestivè Bellantium ad pacem conversorum gratiam promereri resignantes didicerint. Sententiam auctoritate Imp̄p̄ firmant Arcadii & Honorii sic rescribentium: *Sub clade Barbarica depopulationis, si qua aut per fugam, aut per congregationem infelicium populorum indignè in vidio seq̄, commissa sunt, ad invidiam placatarum legum à callidis litigatorū objectionibus non vocentur. Habeant omnium criminum immunitatem, qui evadendi non habuerint forsitan facultatem, nisi eos eadem crimina juvissent. Non enim crimen dicitur, quod mortis adegit impulsus, l. ult. C. Th. de infirmendis his, quæ sub Tyrannis aut Barbaris gesta sunt. Rem exemplo Didaci Lupi Bisaję Domini illustrat Rodericus Toletanus, *rer. Hispanicar. lib. 7. cap. 33.**

79. Rationem dictis adnectit Boxhornius de Amnestia, inquit: *In victoriâ ipsâ & victores ipsi leduntur, & in-*

comparabile Respubl. patitur detrimentum. sed nec sic fieri satis mala videntur. Exules enim, & omnibus exuti, plerumque praesidium vel in desperatione, vel excitatâ inter externas gentes miseratione, inveniunt. Quibus fit ut cuidam velut bellorum aternitati Respubl. involvatur. Coestat jam, cum nullam aliud supersit remedium, in solius Amnestiae, qua sic coeunt vulnera, ut nullae maneant cicatrices, & tolluntur pariter & servantur partes, gremio Rempubl. maximè fatigatam, siquidem eam salvam esse velimus, debere ac posse conquiescere.

Confer tract. 2. in hoc
volumine Respubl. par. 36
pag. 946.

80. Verùm hæc, speciosa licet, nodum tamen dictæ sententiæ non solvunt. Rem ipse aperit laudatus d. loco Boethius, cap. 22. ubi dicit: *Ceterum in amnestia nihil securitatis aut fiduciae esse: Semper metuendos quos semel laesis; subditis secretum illud & abditum Principum, ut passim loquitur Tacitus, quorum odia hac larvate cuncta condi & deferri possunt in occasiones; Principibus autem eorum, qui semel per duelles exiterunt, studia semper suspecta esse oportere sunt qui asserant. Quibus sane ego, inquit d. autor, haud alia reposuerim, quàm si cum optimis res sit, nihil superesse periculi: Si cum malis & perfidis, modò deposita sint arma, non admodum metuendas hinc esse inermes insidiarum meditationes; ac ad alias omnes pessimorum clandestinas artes, & prævidendas, & turbandas, & cavendas, optimis adesse semper prudentia munimenta.*

81. Nec iudicio, nec ratione destituta sunt Taciti verba: Simile quid, ut soliti sumus, ex sacris, postea ex profanis deducemus. *Lib. Reg. 2. cap. 19. vers. 23. ait Rex Semei: Non morieris, juravitq; ei. Lib. 3. Reg. cap. 2. v. 9. Salomon in præceptis dat, ut nolit pati eum esse innoxium. Mandatum successor exequitur, edicitque ptoposito capitali supplicio, ne transiret Cedronem, quod videbat à Semei minus servari posse.*

Cul

Cui per Cedronem exitus pateret ad civitatem patriam Bahurim, à quâ abesse, instar ceneri poterat mortis, cum ibi haberet omnia, quæ in humanis existimantur, aut vitæ subsidia, aut dignitatis ornamenta. Mandatis non parens Semei à Banaja percussus obiit, postquam à Rege ipsi exprobatum esset, confcium fuisse cor ipsius omnium, quæ fecisset Davidi patri.

82. Non ignorant Imperantes, ad Majestatem conservandam plurimum conferre eam in Prædecessoribus atque actis eorum ex Majestate profectis perpetuo observare ac tueri, & pœnam læsæ Majestatis in Prædecessoribus promunimento habere Majestatis suæ. Sed quâ ratione jurata fides Davidis salvabitur? Respondet Abulensis q. 26. licet verba Davidis aliter à Semei forent accepta, imò & juxta communem acceptionem aliter sonarent; tamen sensum juramenti juxta Davidis mentem esse; neque illo die, neq; suâ manu, aut dum ipse viveret, occidendum esse Semei. Quam sententiam, rejectâ Cajetani opinione, amplectitur Casp. Sanctius in libros Reg. ch. loco.

83. Eandem rei veritatem illustris Mongomerii tragicum testatur exemplum, de quo Thuanus, lib. histor. 58. Sic in fit: *Hic exitus fuit Gabrielis comitis Mongomerii multis expeditionibus summâ celeritate confectis clari, qui ante XV. annos Henricum II. in ludicro certamine imprudens lei habi vulnere confecerat; ob id calamitatis publicæ invidiâ potius quàm proprio crimine onerati: nam quod illi perduellionis affictum est, aut superioribus edictis, aut datâ nuper fide remissum fuerat, sed hoc impotentis Regentis desiderio condonatum, quæ hominem Regiâ morte piacularem quavis ratione pœna dedipostulabat, ut hoc insigni exemplo omnes discant, solo casu, non tantum.*

tantum consilio nocentes effici, quicumq; vel imprudentes perniciem Principibus intulerint. Minus itaque tutum esse videtur ideò delinquere, ut fragili amnestiæ gaudeamus beneficio. Prudenter inquit Mornæus, in *Mysterio Iniquitatis: Cauterium probatum inter medicos est remedium: Cur verò morbo corripere in votis haberem, ut dicto liceat uti remedio?*

84. Illis, quibus feruntur auxilia, accrescere emolumentum debet. Hoc indicavit Ribadeneyra Hispanus, dum dicit: *Lo haga, se puede, de manera que los ayudos le seande provechio; porque si los socorros fueren flacos, por ventura non conseguira el efecto, que pretende, antes, gastandose tanto, y algunas vezes mas, que si fuessen poderosos perdera reputacione, y los amigos que saran des obligados, y aun que xosos y los ennemigos ufanos y mas atrevidos, juzgando que o le falten fuerzas, o prudencia.* Sic de auxiliariis copiis hæc dicit Polybius, *histor. lib. 6. cap. 24. Ubi cum Romanis etiam socii sunt congregati, omnia inter illos administrant, & suum cuiq; munus disponunt viri à Consulibus ordinati, quos vocant prefectos, numero duodecim. Hi ante omnia ex universo cætu sociorum qui adsunt Consulibus appositissimos ad omnia quæ virtute verè æque-rint, equites peditesque seligunt, quos vocant Extraordinarios.* Cavendum, ne id objectare auxiliantibus necesse sit, quod Treveros ac Lingonos alloquens Cerialis de Germanis prædicavit, *Ibi; Terram vestram cæterorumque Gallorum, ingressi sunt Duces imperatoresque Romani, nullà cupidine, sed majoribus vestris invocantibus, quos discordia usque ad exitium fatigabant. Et acciti auxilio Germani, sociis pariter atque hostibus servitutem imposuerunt, Tacit. Hist. lib. 4. cap. 73. nu. 3.*

85. Prompta esse debent auxilia. In rebus enim omnibus, quæ ex compacto in bellis geruntur, temporis, loci, modi &

di & personarum non observata exacta ratio, totū cœptum reddit inutile, imò etiam his qui nobis favent, noxium & periculolum, *Herodot. lib. 10.* Sæpe in deliberationibus quàm in effectu consistunt auxilia, ac plerunque tempus auxiliaturi consultationibus terunt. Festinatione hic opus est, ne post festum accedant Socii. Dum auxilia parant Romani consultantque, Saguntum summâ vi oppugnabatur, *Liv. hist. lib. 21. & lib. 8.* Latinis quoque ab Lavinio auxilium dum deliberando terunt tempus ferri cœptum. De quâ re summopere conquesti olim sunt Veneti, cùm ob tardius adventantia auxilia Cypri possessione exuerentur, *Paul. Paruta, in describe belli Cypr.* Aliter affectus fuit Alexander M. qui motibus in Græciâ occursum tantâ celeritate instructo paratoque exercitu Græciam oppressit, ut quem venire non senserant, videre se vix crederent, *Justin. lib. hist. 11.* Defecisset ab Romanis ulterior Hispania, ni P. Cornelius raptim traducto exercitu Iberum dubiis sociorum animis in tempore advenisset, *Liv. hist. lib. 24.*

87. In id quoque incumbendum auxiliaturo, ut si ipse copias ducere nolit, earum curam illi ex ministris committat, suspicione quem vacuum esse, quemque datis jussibus exactè parère novit. Multum erit, si mandata rebus perficiendis fuerint adæquata, nec laxa nimis, nec nimis arctè compacta. Limitare enim scrupulosè rei consultæ executionem, nihil aliud est, quam intricare ministrum, & ipsum labefactare negotium *Joh. Boter. lib. 2.* Cavendum ne pluribus ejusdem rei præsertim quibus ambitio dominatur, committatur executio. Duces quippe in diversas acti sententias, aliique hanc, alii aliam probant, hinc nihil eorum quæ consuli debent peragitur, sed unusquisque ægrè ferens suam sen-

F

tentiam



tentiam non valuisse, negligentius ad rem gerendam accedit, *Agat. lib. 4.* Ad pugnandum properabat Sempronius Consul, stimulabat & tempus propinquum comitiorum, ne in novos Consules bellum differretur, & occasio in se unum vertendæ gloriæ, dum æger Collega erat, *Liv. lib. histor. 21.* Sic Plutarchus, in Crasso: *Nec Crassi in bello spartacio celebratam laudem, qua festinationis magis, quàm securitatis rationem habens, manus conferere properavit, ne superadveniens Pompejus, perfectam propemodum belli gloriam auferret.* Hinc Polybius lib. 3. hist. *Imò si in castris essent ambo Consules, non imperitabant ambo, sed alternatim per dies.* & *Liv. lib. 3. Quod saluberrimum in administratione magnarum rerum est, summa imperii concedente Agrippa, penes collegam erat.* His neglectis, parum utilitatis, plurimum incommodi ad eum redundat, cui ferre supplicia decrevimus. Exinde damnosa emergit militum licentia, qui ad ostentationem potius, quàm ad conflictum sæpe adducuntur, quorum industriâ tandem suffugatus est hostis, regionem suo interventu liberatam, ad suum quoque pertinere dominium arbitrantur.

88. Nocet subinde nimia & inconsiderata liberalitas, ac promissum absque conditionis alicujus adscriptione auxilium. Idcirco proprii Status exploranda prius conditio, & quid ferus adferre vesper queat considerandum, semel equidem data fides servanda est. Fraus enim cum in omnibus foeda est, tum verò in iis qui majori dignitate sunt præditi foedior est quàm aperta violentia. Nam altius frangendo fidem Princeps peccat, quàm inferior, *Bald. cons. 324. lib. 1. & cons. 24. lib. 2.* ubi inquit: quod non servare fidem contractus est mentiri, *l. dolus. ff. mandat.* & fidem fallere gravibus grave, gravioribus gravius, gravissimis & exemplaribus vitis
 gravis.

gravissimum, Idem *Bald. cons. 342. col. 2. lib. 1.* Quid Machiavello respondendum sit, qui in Principe suo, cap. 18. docet, *acutum principem sanctè fidem servare non posse nec debere*, fusè tradit Antimachiavellus, lib. 3. theorem. 21. pag. 507. Actiones suas formare, necessitates perpendere, novisse difficultates, accidentia prævidere, rectè uti artificiis, summum inter mortalia bonum est. Sic è contrario negligere actiones, necessaria non considerare, omnia facilia esse credere, non curare eventus, inter mala pessimum est.

89. Quapropter si consideratis libratique tum proprii tum alieni Status ferendiq; auxiliis circumstantiis, intelligamus satisfacere petenti nos haud posse, cogitabundos nos eo præsentè exhibemus, gemituq; ac verbis dolorem restantes obsequendi difficultatem explicabimus, adjunctis quoque rationibus, quamobrem non possimus magis, quàm ut imprudentiæ parum decore postulantis adscribamus, maxime cum is non tam juris consiliiq; quàm gratiæ opisq; quærendæ causâ accesserit, neve eadem operabilis eum lædamus & abnuendo & incogitantis ignorantisq; arguendo.

90. Quod si rationibus haud esse contentum videamus, dicere licebit, tamen si in hac re hoc vel illud difficultatis existat, orare nos spatium concedi, quo tantisper dispiciamus, eequa remedio via pateat, & obsecundandi modus, ipsiq; nostro satisfacere queamus desiderio, cum prius spem, ejus debilitaverimus rationibus in aliam partem allatis, idque non ut verba daremus, sed ut amoris imminuti suspicionem tollamus, quasi postulatis, quæ æquum & facile foret præstare, noluerimus obsequi. Quicquid tandem negaverimus, officia nostra de cætero pollicebimur animique boni propensionem declarabimus. Alii pleniori absolutiorique in negando utun-

do uruntur libertate. Sic Dux quidam exercitus Gallicani rogatus ut promissam securitatem literis confirmaret; respōdit se facturum, quod Regii exercitus utilitas requireret, cæterum ut promissa scriptis roboraret, id ad verari moribus hætenus receptis, additâ dicti ratione, posse nempe armorum cursum, qui vicissitudinarius est, mutare consilium, *Vitor. siri, in Mercur. Tempor. current. Tom. 2. lib. 1 p. 308.*

91. Auxiliis decretis non tantum de transmittendis copiis, com meatu, vel renummariâ cogitandum; verum & eò mens dirigenda, ut in hostes tentetur eruptio, levi aliorum præsidio debellantur viâ exhausti milites, iter occludatur subsidiariis, in vigiles acre detur prælium, omniq; viâ transituris hostibus struantur insidiæ, ut nihil, quod strenui militis decet officium, omittatur. Exercituum quoq; beneficio faciendæ diversiones, quibus hostium infestentur provinciæ, concitatis aliis etiam adversus hostes principibus; Aucupes imitando, qui vulturum interventu utuntur ad infestandas in aëre, quo ipsi penetrare nequeunt, volucres, spargenda per hostiles terras rebellionis dissidiorumq; semina, quibus inter se committantur incolæ, faciliorq; evadat illorum aggressio.

91. Eò respiciendum, ut à percusso fœdere discedant socii, suaq; separatim tractent negotia, quod ipsum erit indubitatum interitus illorum velut præludiū quoddam. Quoties enim illi, qui fœdere conjuncti sunt, secessionem faciunt, ac se dissipari patiuntur, dubitari amplius non debet, quin paulatim omnes cladem aliquam accipiant; quam disponendi societates artem mortalium optimè calluisse Ludovicum XI. testatur *Comin. in comment. lib. 2.* Proderit hinc mediocres rerum successus latius expandere, infallibilem vincendi

cendi certitudinem testari, dare per literas augmentum rebus favorabilibus, dissimulare celareque damnosas, de variarum nationum gloriari foederibus, proprii elevare militis virtutem, cæterorum per castra disseminare vitia, aliaque exercere, quæ ad rem præsentem juvandam promovendamque facere poterant, artificia. Nulla falsitas populo facilius persuadetur, quàm quæ veritatis specie subnixa est: multa verisimilia necessariam important veritatem: Et multa vera, quæ verisimilia non videntur, nomine mendaciorum veniunt.

93. Diverſionis, de qua dictum, intuitu, duas constituit species Girolamus Franchetta *in Seminar. stat. & belli discurs. 51.* directam, quam adversus ipsum hostem, vel obliquam, quam adversus hosti foederatos, vel per nos, vel per alios suscipimus; utramque tradit procedere, eique præsertim convenire, qui armis vel potentia inferior est. Hinc reluctet vetari inter eos diverſionis usum, inter quos armorum vel auctoritatis est æqualitas, existimationisq; vel gloriæ neglectæ argui Romanos posse; quò ad eliminanda Hannibalis arma, exercitum sub ductu Scipionis in Africam trans miserint. Rem in utramque partem admiranda facundia subtilissimisque rationibus discuffit, Paulus Paruta *in discurs. pol. 6. lib. 1.* Solidisq; evicit argumentis prudenter & in summos Reipubl. usus dictum à Romanis sumptum esse consilium.

94. Cæterùm in propriis provinciis delenda est hostium vis. Hoc Sulpitius apud Livium intellexit, dum dicit: *Macedonia potius quàm Italia bellum habeat, hostium urbem, agrumq; ferro atque igne vastant experti sumus, foris nobis, quàm domi faciliora, potentioraq; arma esse.* Et Scipio, ajens: *multum interest alienos populari fines an tuos exscindi videas,*

plus animi est inferenti periculum, quam propulsanti. Hoc eò verius evadit quò penitus gloriosa antiquorum Heroum in- tuemur facinora: quorum summa constabit fuisse consilia, ut in proprio territorio hostis fieret aggressio; hoc ipso vigor militibus instillatur, terror hosti, damna cum periculis bello- rum omnibus ex propriâ in alienam domum consciuntur. Hostem domi qui expectat in defensione duntaxat armorum fiduciam ponens, insolentorem ipsius præstat audaciam, vi- ribus incrementa subministrat, duplici subditos onere defati- gat, quorum substantia copiis amicis sustentandis, hostiumq; simul direptionibus expositæ sunt. Cynus olim Cyaxari ho- stem in amico solo expectanti auctor fuit, ut mutatâ sententiâ in limitibus Assyriæ invaderet illum, cujus monita secutus Ciaxares memorabilem cum prædâ ingenti victoriam repor- tavit. Addat lector curiosus, quæ hac de re exhibet P. Paru- ta *discurs. polit. lib. 2. cap. 10.* ubi ad trutinam revocat Caroli V. Imp. consilium ad muros Viennæ Austriacæ territantia tunc infidelium arma præstolantis.

95. Imprimis hic præcavendum, ne is, adversus quem auxilia decrevimus, eodem in nos jure utatur, ac educto no- stro in terram alienam exercitu, in viciniâ nobis hostem exci- tet. Quod Carolo Burgundiæ Duci contigisse legitur apud Girardum *de Statu rer. Gallicar. lib. 2.* adversus quem, dum Britannia Normanniæq; Ducibus ferre conatur suppetias, Leodlenses Rex Gallia excitavit, in magnam rei ipsius perni- ciem. Quid hic evenire possit, docebunt quæ aliis evenêre. Accidere singulis potest, quod unum aliquando aut evexit, aut oppressit. Antequam ad liberandam ab obsidione Ra- tisbonam inducerentur Sueci, penitus, tum obsessæ urbis, tum Cæsareanæ exercitus, tum propriarum rerum pondera- tis cir-

et circumstantiis, tempori cedere, tutius arbitrati sunt, quam aliis subveniendo propriis Statibus molestias creare, *Galeazus Gualdus Prioratus, histor. lib. 9.*

96. Prudentiæ est prævidere cætera quæ eventura sunt. Non ut certum quid definiatur, quod hominum non est, sed ea omnia animo prævideantur, quæ forsan sunt eventura, ut non in unum, quod ignoramus, sed in omnia quæ scimus, parati simus. Turbo navigantes utuntur, ne scopulis allidatur navigium; Turbo hisce in negotiis prudentia est, quâ imprimis opus est in vasto hoc vitæ humanæ & impedito mari, quod cæci plerunque, aut viæ ignari, certè futurorum improvidi, & tamen securi navigamus. Quare & quodam naufragio plerique tanquam ad rupes & scopulos allisi, plerorumque certè destinationes, perduntur, *Boxhorn. Emblem. polit. 2. Priusquam incipias consulto.*

97. Ratione subjectorum, quibus ferenda sunt auxilia, quæri potest, si cum potentiori concurrat inferior, utri præstanda subsidia? Pro potentiori generalis militare ratio videtur: Nam ubi plures sunt bellantes (cæteris paribus aliis) secundum quod hujusmodi sunt, victoriam obtinere debent: quantitas enim in compugnatione est utilis, sicut majus pondus magis trahit, *Ægid. Roman. de Regim. Princ. lib. cap. 9.* Tum quia ab Inferioribus, frustra in eorum auxilia collatis sumptibus, vix sperari possunt reciproca officia; quod auctoritate Niciæ solidari videtur, qui Atheniensibus hac motus ratione dissuasit bellum adversus Syracusanos movere in favorem Egestanorum. Respondet Girolam. Frachetta, in *Seminar. belli & Status. disc. 89.* ubi dicit: *eos juvare, à potentioribus qui injustè opprimuntur, & longè à Statu nostro distiti sunt, semper justum fuit. Oblocorum enim distantiam haud metuenda esse,*

da esse, ait, opprimentium arma, posseq; occasionem emergere, quâ lata compensentur auxilia. Nihil stringere, addit, Atheniensium exemplum; erat quippe illis tunc non tantum ad versus Syracusanos, sed & contra Lacedæmonios bellandum, quorum utrique quoad potentiam Atheniensibus æquales erant.

98. Alii ex justitiâ causæ rem dirimunt, ejusq; fovendas esse partes ajunt, qui justâ causâ suffultus est. Justitiam causæ, belli victoriam spondere tradit Polybius, *lib. hist. 3. cap. 10.* Non tantum nos ipsos, verùm & alios injustè offensos & in periculo vitæ constitutos defendere tenemur, idque ratione vinculi societatis humanæ, *Richter. decis. 1. nu. 7.* Nam & aliàs ex juris civilis tenore, qui prohibere potest, nec prohibet, in casu homicidii pro homicidâ habetur. Hoc observans Franciscus I. Galliæ Rex, se non tantum, sed etiam Robertum à Marka Principem vicinum cõtra aggressores defendit, *Martin. Bellay. in commentar. pag. 34.*

99. Supremi enim Magistratus dupliciter considerantur; vel qua suis imperant, vel qua nemini parent, nisi juri Gentium vel Naturæ, cujus utriusque inviolatam vim & sanctas tectasq; leges, non tantum pro suis, sed si possint, etiam pro aliis debent tueri. Nos quidem nostraque defendere omnino necessarium, alios defendere honestum, non semper necessarium est, si certò de damnis constet, quæ incurfurus esset defensor. Unde prudenter Bernard. 1. Rocca, lib. 2. cap. 55. *Il lasciar. il. suo per defendere quel d'alteri no far a mai giudicata cosa dhuomo savio e se un Principe ha bisogno di guardare se stesso volendo soccorrere à un altero, si so mette con pericolo alla discretione de' nemici.*

100. Dicti veritatem confirmat Senecæ, de comparatione inter Alexandrum M. & Herculem posteritati

tati relictum Judicium, *lib. 1. beneficior. cap. 13.* ubi sic
 Infit: *Libens*, Alexandrum notans, *accepit delatum ho-*
norem, & legatos invitatione, aliaque humanitate prose-
cutus cogitavit, non qui sibi civitatem donarent, sed cui dedis-
sent. Et homo gloriae deditus, cujus nec naturam, nec modum
noverat, Hercules Liberique vestigia sequens, ac ne ibi quidem
resistens, ubi illi defecerant, ad socium honoris sui respexit à dan-
tibus; tanquam cælum, quod mente vanissima complectebatur,
teneret: quia Herculi æquabatur. Quid enim simile habebat
vesanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Her-
cules nihil sibi vicit: orbem terrarum transiit non concupi-
scendo, sed vindicando. Quid vinceret malorum hostis, bono-
rum vindex, terrarum marisue pacator? At hic à pueritiâ la-
tro gentiumque vastator, tam hostium pernicies, quàm amico-
rum, qui summum bonum duceret, terror esse cunctis mortalibus,
oblitus, non ferocissima tantum, sed ignavissima quoque anima-
lia timeri, ob virus malum.

101. Nec in hac luce cœcutire videntur, qui in eandem
 eunt sententiam, ubi ipsis Potentioribus justa est causa; me-
 tus interim inferioribus, ne lato potentioribus auxilio, illo-
 rum exuberantior, suisque statibus nociva fiat potentia. Hoc
 Inter alia Venetis laudi vertitur, quòd alieni à bellis non ne-
 cessariis, suum præcipuè Statum tutari, ac aliorum, quæ nimis
 excrescere videbatur, deprimere noverint potentiam, ut in
 æquilibrio res magnatum servarentur: idcirco plerunque
 infirmioribus sua ultro vel rogati addixere auxilia. Vicini po-
 puli auxilio juvandi, priusquam à potentioribus oppriman-
 tur. Nam iis oppressis, postea facile ii ipsi in prædam cedunt,
 qui illos adjuvare neglexerunt; Sicuti hoc evenisse Hetruscis
 ob denegatum Vejentibus auxiliũ Livius memorat, *lib. hist. 5.*

G

Labo-

Laborandum ergo, ne Reges & alii Principes in vicinorum regionem quâcunque etiam prætensâ justitiâ & robore pervim irrumpant, regni cupiditate adducti, suos fines in vicinas regiones propagent.

102. An verò inferioribus, qui contumaces existunt ad versus suos Principes, auxilia ferenda, illique in protectionem sumendi sint, quæritur? Simpliciter id licere quidam pronuntiant, quia naturali nexu devincti sunt Principes, ut miseriam obrutis subveniant, oppressosq; subditos consolentur; hoc nisi fieret, iniquissimam esse ajunt subditorum conditionem, quòd à nemine expectare subsidium possent. Verum omnino prudenter monet *Petr. Matthæus, Historiographus Regius, tom. hist. 3. pag. 824.* non resolvendam esse hanc quaestionem per propositiones generales, quæ apparentis duntaxat æquitatis mentionem faciunt, sed per terminos veræ Justitiæ adæquatos. Distinctione igitur rem terminandam esse docet: Aut nullâ Princeps in illos, qui apud eum refugia quærunt, jurisdictione pollet, & nullatenus ejusmodi gentium ipsi conceditur patrocinium: Sicuti enim populi ob sævitiam Dominorum rebellantes, graviter in Deum peccant, ita non minus illi, qui in conceptâ eos per protectionem firmant contumaciâ; quâ enim ratione furtum qui celat, à furtivi criminis reatu se extricaret? aut ordinariâ in omnes suo imperio subjectos & consequenter in rebelles cujusdam principis cives jurisdictione utitur, quo casu ipsi non denegatur protectio; Convenit quippe humanæ Principis Majestati curare, ut pax in Imperio servetur illæsa, & non solum mala verum etiam occasiones malorum è medio tollantur. Hoc gemina frons in Jano antiquissimi in Italiâ Regis exprimit, ut præterita noscat, & futura prospiciat; ex præteritis.

2. dist.

58

utis quippe & præsentibus futura dimittenda sunt. Minutis invigilandū, ne maximis involvamus incommodis. Minutula, juxta proverbium, pluvia imbrem facit; ad quod pulchre alludit Plautus in Menæchmo: *Nunc in te cadunt folia, post cadent arbores.* An religionis intuitu ab ordinario Magistratu oppressos subditos aliis defendere liceat, arduæ est quæstionis, quàm fusè pro & contra disputavit, multisque variorum autorum argumentis illustravit *Cassp. Londorp. Tom. 1. act. publ. lib, 10. cap. 47.* quò brevitatis ergo pro hac vice curiosus lector remittitur.

103. Haud bilem, uti speramus, movebit, si idem, quod paulò ante memoratum est, consilium demus adversantis fortunæ ludibrio agitatis Principibus, si Potentiorum opus habuerint patrocinio. Illi enim qui populis frenandis tantum, non etiam sibi leges scriptas esse existimant, pro regulâ habent, quavis ratione augeri Status posse. Inde facilè judicatu est, an utile sit inferiori superioris alicujus niti patrocinio. *Columbæ* adversus milvum bellantes, postquam accipitris implorassent obtinissentq; auxilium, pejorem apud hunc quàm apud hostem nactæ sunt conditionem.

104. Despiciunt reliqua naturæ opera, & præ omnibus assurgit altiùs, ut se suaq; cum cælo communicet; Ne vallis hanc ei gloriam invidet. Tametsi enim favoribus Jovis sit prior, una tamen etiam lætib; fulminum ejus magis expositus est. Circum illius tempora coguntur nubes; ibi armantur tempestates; ille verò primus omnium est, in quem furore suo desæviunt. Idem prorsus in iis muneribus, & officiis accidit, quæ Regibus vicina sunt. *Vis activa potentia, quâ pollent, graviùs nocet iis, qui adsunt propius. Communicatio eorum non minus venenata est, quàm alicujus vipere.*

Quisquis inter illos ambulat, medios inter laqueos, & arma hostium offensorum ambulat. Idem temporis momentum amare eos vidit, & odisse eo cum effectu, ut à fulmine crederes, quod simul ac auditur tonitru, aut fulgur percipitur oculis, jam corpora obvia redegit in cineres, *Didac. Saverdra, in Idea Princip. Christ. Symb. 50.*

105. Principes inferiores si ad sedandam differentiam, potentioris implorent subsidium, si non ab hoste cæduntur, in prædam protectoris cedunt. Hinc vento similem esse tradit magnorum Potentiam, Autq; Bellatoris *prud. & polit. cap. 46.* cujus si moderatus est flatus, favorabilis est; si nimium impetuosus, omnia prosternit. Philippus Macedo in arbitrum electus à duobus fratribus de regno Thraciæ litigantibus, Status eorum sibi solum adscripsit. *Utile est Magnorum conservare amicitiam; Sed periculosum, Status sui in illa fundamentum ponere.* Fœderatio illorum servitus magis est, quàm amicitia; quia pro infesto habent, quicquid suo dominati subjectum non est; creduntque omnia, quæ non acquisiverunt, creare sibi molestiam. *Insatiabile monstrum est ambitio, cujus fames pascendo augetur.* Prudenter itaque agent inferiores, si cum potentioribus absque confidentiâ vivere didicerint, & eâdem diligentia à blanditiis eorum quàm injurils cavere.

106. Hedera fulciri plantis gaudet, interea fictis illas stringit amplexibus, apicibus adimit viriditatem, hinc succo evanescente nascitur sterilitas. Validiores imperiorum se thesaurarios credunt, solosq; aureæ pateræ heredes, ex quâ auctioris potentia, quæ stuumque bibitur fiducia; verum toxico lethali infecta potio, quæ indubitatum haurientibus conciliat interitum. Jctus cœlum versus dirigunt potentiores, eo fla-

eo flagrantés desiderio, ut aſtrorum ſanguis in fœderatos de-
cidat, eorumque aſtiones inquinat, ac deturpet conſilia.
Nullus adeò tenax eſt nodus, nec tam firma repagula, qui-
bus conſtringi queat luxurians illorum dominandi cupido.
Summus rerum omnium Creator procul à mortalium ſede
poſitum eſſe voluit vorax ignis elementum, interjecto frigo-
ris obſtaculo, ut hoc doceret Imperantes exemplo, arcere
procul à finibus, ſuſpectamque ſemper validiorum habere
potentiam, *Thom. Rocabella, in Principe Deliberante, pag. 150.*

107. Cogit tamen aliquando inſtans neceſſitas pro-
tectionem Potentioris alicujus agnoſcere, ne hoſtis jugo ir-
retiamur: quo caſu conſultum eſt, nummorum petere ſubſi-
dia, vel diverſionem, cujus vi hoſtes ad deſenſionem in pro-
priis terris obligentur. Salutaria eſſe remedia diverſiones
creduntur, Statibus præſertim languidis, quæ ſi non expel-
lunt, minuunt morbum, hoc & illo remedio, pericula evitan-
tur in fœderatis metuenda. Si tamen abſolutè militum opus
fuerit præſidio, maturè omnia circumſpicienda, præcipuè
ante negotii concluſionem finis examinandus, illosque abſq;
periculo exautorandi ritè inveniendæ remedia.

108. Si militum Princeps indigeat auxilio; illud ab alio
potius, quàm à vicino impetrandum eſt, ne ſublato auxilii
prætextu, Statui ſuo inſidiæ ſtruantur. Si tamen in ſpecie vi-
cini auxilia requirat neceſſitas, nunquam auxiliantibus con-
credenda ſunt fortalitia, propriique milites ex locis periculo-
ſis extrahendi, ac illis imponendi auxiliares; quia, ſi vincun-
tur, nihil perdit, ſi vincit, dulcior ipſi eſt victoriæ fructus, alio-
rum potius, quàm ſuorum ſanguine acquiſitus. Perdere mi-
litem auxiliarem, eſt non perdere, quando abſque utilitate
retinetur. Infringere iſdem armis hoſtem, quæ metuimus,

ac ruinâ unius alterius vires imminuere, artificiorum Status magisterium est: quò magis enim Princeps vires ejus obtundit, quem metuit, eò sublimius propriam exaltat potentiam.

109. Eò tandem allaborandum, ut cessante necessitate, absque periculo, uti monitum est, exautorari possint auxiliares, idque absque Principis auxiliantis offensione sub prætextu forsan repetitionis expensarum, vel quia tam subito amicum auxilio privare recusat, ne avertis copiis subsidiariis, denuo in Statum irrumpant hostes; quos ut & similes causas pro legitimis venditare solent Principes. Hinc difficulter recedunt ex Statu, in quo semel fixêre pedem, occasionem quærentes pro se habendi, quod contra aliorum intentionem tutati sunt. Bonum esset armorum sibi jungere socium, nisi eventus testaretur subinde contrarium. Verùm, quia illi qui ad juvandum Socii fuerunt, in divisione sibi dominium adscribunt, hoc imputare sibi debent, qui in libertate constituti, socios adsciscere voluerunt, propriaq; fortunæ submittere commoda, ut aliorum intentiones interverterent. Mirum esse videtur ægrotanti, si magis exasperent malum remedia, quam juvant: Nec non pastori, si canes in ovium custodiam dati agnos ipsi devorent.



COROL.



COROLLARIA.

I.

Lapidem, cui ventos franandi potestas est, lingua figuram referre, non in terra natum, sed caelo delapsum Plinius recenset. Hinc is qui linguâ coercere populi alicujus affectus potest, ad instar venti volubiles precipitatosque, Princeps summo inter mortales dignus imperio pronuntiatur. Salvâ Rhetorum autoritate, magis nos Principis usibus convenire silentiâ, quam sermonis beneficium existimamus.

II.

Rectè à Tullio dictum: Patriam, Libertatem, Cives, atque ad eos ipsos Reges latere in tutelâ & presidio bellica virtutis. Quod eò verius evadit, quò penitius vera & justa consideratur armorum causa; ad qua plerosque ulciscendi se conatus, Status ratio, gloriaque cupido proritat. Nos ex eo tantum bello gloriam reportare Principem posse arbitramur, quod urgens illi imposuit necessitas.

III.

Exprobratur quibusdam Regnantibus, quòd in pares sibi dignitate haud veriti fuerint decernere supplicia; Exprobriationis ratio esse videtur, quòd par in parem non obtineat imperium. Verùm, hanc regulam perpetuâ niti veritate, inficiamur, imò & suis subjectam esse limitationibus, asseveramus.

IV.

Jurisdictionem Forestalem Imperantibus adscriptam esse, nonnulli ex Obsequentium ordine agrè ferunt, præter rationem illo.

illo se orbatos, quod jure naturali ipsis indultum esset, conque-
rentes. Nos imperantium defendi jura posse, nec illegitima esse
putamus, que subinde immorigeris indicuntur acerbiora
supplicia.

V.

Licet continuatâ per aliquot annos serie, summa in Imperio
rerum, ob singularia merita, causasque gravissimas, in serenissi-
morum Principum Austriacorum familiâ conspecta sit, nihil
tamen electionis libertati esse derogatum, nec violatas Imperii
leges fundamentales censemus.

VI.

conf. Tabur.
de fortu. p.
m. 154 alias
ex errore typogr.
196.

Ad agendum homo cum natus sit, vix est, ut solitariam
eligere vitam ei concedatur in Republ. rectè ordinatâ. Nec im-
pedimento erit, quod prava, uti ex Sacris adagiis constat, collo-
quia bonos mores corrumpant. Equidem cœnosa loca Sol radiis
complet, illibatâ splendoris puritate. Hunc homo imitetur, ar-
temq; esse sibi persuadeat, in turbâ malorum virtutis edere
specimina. Censura quoque subjicimus, qui jurato conjugali
consortio, colere cœlibatum, satagunt.

VII.

Minus rectè ab augendo Imperio Augustum dici, cum Co-
rasio affirmamus. Bellum religionis propaganda, vel imminuen-
da alterius potentia gratiâ susceptum non gaudere justo titulo
cum Grotio arbitramur. Proditio, licet multum ad usus milita-
res faciat, odio tamen esse proditores, nemo facile ibit inficias,
quos premiis affectos fuisse, non ut honore aliquo digni haberen-
tur, sed ut aliorum animi sollicitarentur, Curtius tradit.

F I N I S.

ULB Halle

3

006 244 211




56

W 17







Bra. 3. num. 7.

LITICA

ITATE

CE DEO

Consultissimo

LE-BLEU,

ANDECTARUM

ACADEMIA Lu-

è celeberrimo, ejus

ceptore ac Patro-

observantiæ

lo

ferè

CEMCE.

IS.

que consuetis.

ORVM,

Anno M. DC. LXI.



1661, 2

9/

7.

